



2
6
448












ELENCHVS
Eminentiss.[m] & Reuerendiss.[m] S.R.E.
CARDINALIVM.
Ab anno 1294. Ad annum 1430.

Ex Bibliotheca Eminentiss. & Reuerendiss. Principis D. D.

CARD. BARBERINI
S.R.E. Vicecancellarii.



VITA MARTINI QVINTI:
Authore Felice Contelorio Archiuij Apostolici Vaticani Præfecto.





ROMAE, Apud Andream Phæum. 1641. *Superiorum Permissu.*

Sumptibus Bibliothecæ Gryphi in via Parionis.

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. Mag. S.P. Apost.

I. B. Episc. Cam. Vicesg.

Imprimatur. Fr. Vincentius à Florentiola S.P.A. Mag.

Eminentiss. & Reuerendiss. Principi D.

D. FRANCISCO
S. LAVRENTII IN DAMASO
Diacono Cardinali

BARBERINO
S. R. E. Vicecancellario.

FELIX CONTELORIVS F.



Vis auspicijs (Princeps Eminentissimè) Lateranenses Parietinæ iniuria temporis fere deperditæ reparantur; gesta Sanctorum è tenebris educuntur; Ecclesiastici ritus in meliorem prospectum dantur; historia, potissimum ecclesiastica excolitur, & Acta non nulla Summorum Pontificum explosis fabulis vindicantur; Antiqua Græcorum monumenta latio sermone donantur vt lucem aspiciant; labor etiam hic, qualiscunque sit, ex libris potissimum, qui Auinione Romam te munere legationis fungente, delati sunt, concinnatus, tibi vt tuus debetur, qui veluti Sol (faustissimum Barberinæ familiæ symbolum) veterum, ac recentiorum scriptorum monumentis ex varijs Orbis partibus in amplissimum Bibliothecæ tuæ Theatrum munificentissimo sumptu collatis, ingenia eruditorum excitas, illustras, ac foues. Vale.

Lectori.



Vper prodierat liber de Vitis Summorum Pontificum,& S.R.E. Cardinalium, Authore Alphonso Ciacconio, idem recusus est eruditorum virorum opera illustratus. irrepserant in eo errores tam in numero Eminentissimorum, & Reuerendissimorum Cardinalium, quam die & anno creationum ob defectum forte librorum Sacri Collegij, qui paucis ab hinc annis Auenione Romam translati sunt. Ex ijsdem præsertim electiones Pontificum, & Creationes Cardinalium à Bonifatio Octauo, vsque ad Eugenium Quartum proferuntur, Authorum tolluntur dissidia, & rerum gestarum veritas inclarescit; quæ, supersunt cum per otium licuerit lucem aspicient.

Interim Lector his fruere, & si quid erroris in illis irrepsisse cognoueris, corrigas obsecro, animoque perpendas eas, tibi exhiberi electiones, & Creationes, quarum aliquæ varia scriptorum authoritate propter absentiam ab Vrbe Pontificum, & ob turbulentum longissimi Schismatis tempus tanquam in incerto vagantes in dubium reuocari videbantur. Vale.

DOCVMENTA,

Ex quibus electiones Summorum Pontificum, & Creationes Cardinalium desumptæ sunt.

BVllæ)
Breuia)) *Summorum Pontificum.*

Instrumenta Reuerendæ Cameræ Apostolicæ.

Libri Obligationum, seu Instrumentorum, in quibus Episcopi, & Abbates promittunt se soluturos commune Seruitium Eminentissimis S. R. E. Cardinalibus.

Libri solutionum, seu instrumentorum, in quibus ijdem Episcopi, & Abbates soluunt commune Seruitium.

Libri Diuisionum, in quibus communia seruitia inter Cardinales participantes diuiduntur.

Acta legationis Petri Cardinalis de Fuxo. Martino 5. Pontifice.

Nomina Authorum quorum fit mentio.

Alphonsus Ciacconius Vitæ Summ. Pontificum & Cardinalium.

Theodoricus de Niem, De Origine, causisque omnium longissimi Schismatis.

Chronicon Regni Siciliæ MS. in Vaticano.

Vitæ Romanorum Pontificum, qui è Gallia oriundi in ea sederunt editæ per Petrum Bosquetum.

Claudius Robertus in Gallia Christiana,

Petrus Frizon in Gallia Purpurata.

Errata in Creationib. Card.		*sic Corrige*
Fol.		
8	die 25. Decembris	die 15
11	die 12:Octo bris	die 22
17	die 14 Nouembris	
20	die 14. Decembris	die 24
36	Asserentibus	Assentientibus
67	die 3. Ianuar. 1345	1335
71	Bertrandus Deueio	Deucio
ibid.	Octobris 1335.	1355
75	Americus	Aymericus
76	27. Februar.1334.	1344
78	Ioãnes,&c. Vauien.diæ.	Vaccien.
87	Guillelmus Vabien.	Vabren.
89	Grimaldi	Grimoaldi
ibid.	Ciacc.die 20.Octob.	die 28
93	Secunda Creatio 1369.	1367
100	1398	1394
102	malosiuo	malosicco
115	Leonardus de Liffono	Ciffono
117	Frãc.de Aliphia 1381.	1382
118	Guill. 13.Julij	23
ibid.	7. Ianuar. 1389.	1385
120	Aprilis 1396	1398
121	tribus viginti millibus,	Trigintamilli bus
137	in o dio	odio
149	episcopis	epistolis
175	Georgius Tudertinus,	Tridentinus
177	Die 8. Nouembris	die ... Nou.
185	Lucemburgho	Lucemburgo
189	23. Augusti 139	1390
195	Card.die 9.Octobris	die 8. Octobris
197	mantealegre	montealegre
199	Saluteis	Salutiis.

INDEX
Nominum S.R.E. Cardinalium.

A

Balthasar

Lucas

Robertus

Anticardinales à Pseudopontificibus creati.

Carolus

Nicolaus

Nomina eorum, qui inter Cardinales a scriptoribus recensentur.

Iacobus

INDEX.

F I N I S.

BONIFATIVS VIII.

BENEDICTVS GAIETANVS Anagninus, SS. Cosmæ, & Damiani Diac. Card. Neapoli die 24. Decembris anno 1294. Summus Pontifex renuntiatur. Die 16. Ianuarij 1295. Romæ Coronatur. Migrauit ad Dominum die Sabathi 11. Octobris 1303. Romæ.



ONIFATIVS. Venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Sennonen̄, & eius suffraganeis Salutem Gloriosus ac mirabilis in operibus suis Deus, qui, cùm sit in misericordia copiosus, in huiusmodi Orbis orbita, plena malis, conferta dissidijs innumeras miserationes exercet, Ecclesiam suam, quam ipse summus Opifex rerum instituit, ac supra fidei firmam petram alta, & solida fabrica stabiliuit opportunis fauoribus prosequi non desistit. Assistit enim illi miserator, & propitiator assiduus, non obdormiens, nec dormitãs in suorum opportunitatum euentibus peruigil custos eius: Ipse siquidem est in turbatione pacatio, in tribulatione solamen, in necessitate succursus, tumque maximè in adiutorium eius sua pietas larga diffunditur, cum aduersus illam Mundi nubila tempore caligante leuantur, quæ inter molestias, &

afflictiones intrepida colligens vexatione vigorem, in ipsa malorum instantia conualescit. Nam diuino semper munita præsidio, nec comminationum strepitu deterretur, nec aduersitatum superatur incursu, sed in terroribus tutior, & constantior in aduersis pręssa præualet, Hæc est Arca, quæ per confluentias, & multiplicationes aquarum eleuatur in altum, & subactis culminibus montium libera, & secura profundas importuosi diluuij calcat vndas. Hæc est vtique Nauis, quæ vento contrario irruente strepentis maris furibundis motibus agitatur, firma tamen, & solida fragoribus non dissipatur æquoreis, nec marini furoris rapiditate sorbetur, sed elatas procellas obruens, ac spumosa, & tumida freta sternens, triumphanter exequitur suæ nauigationis incessum, quæ ad vitalem Crucis saluiferæ arborem rectæ intentionis alis totaliter eleuatis, in Cœlum semper intenta procellosum intrepidè Mundi pelagus peragrat, eo quod secum habet seduli Gubernatoris auxilium, Marium pręceptoris. Vnde regente illo, & dirigente salubriter ac Spiritu sancto flante aduersitatum quarumlibet nebulis dissipatis, victoriosa peregrinationis liberum iter agit ad Patrię cœlestis portum, supernis nutibus fęliciter perducenda. Cùmque sic aduersis innumeris prematur, & turbetur Ecclesia, illa in intimis ipsam acerbiùs sauciat, duriùsque fuerit aduersitas cùm pastore vtili, & prouido viduatur. Sed licet sæpius Ecclesia eadem Pastoris regimine destituta longæ viduitatis lamenta protraxerit expectando gemebunda diutius consolationem plenariam successoris, in huiusmodi tamen mæroris nubilo dignanter illi clementia diuinæ pietatis illuxit doloribus; & necessi-

cessitatibus suis opportunè subueniens per substitutionem optatam, & delectabilem noui sponsi, ac eam de amissione prioris interdum inutilis per promotionem mulcebrem accommodi successoris instaurans. Sanè vacante Romana Ecclesia per liberam & spontaneam dilecti Fratris Petri de Murrone olim Romani Pontificis cessionem coram Venerabilibus Fratribus Episcopis, & dilectis filijs nostris Presbyteris, & Diaconibus Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus ex certis rationabilibus, & legitimis causis factam ab ipso in festo Beatæ Luciæ Virginis proximè præterito, & à Cardinalibus prædictis admissam cum illam posse sic legitimè fieri, & priorum gesta Pontificum, & constitutio declarēt apertiùs,& ad eam etiam faciendam expressus accesserit Cardinalium prædictorum assensus,Cardinales ipsi considerantes attentiùs quàm sic onusta dispendijs, quàm grauia malorum incōmoda secum trahat prolixa Ecclesiæ memoratæ vacatio, & propterea votis ardentibus cupientes per efficacia, & accelerata remedia, huiusmodi periculis obuiare die Iouis decimo Kalendas Ianuarij post Festum sequentem prædictis Missarum solemnijs ad honorem Sancti Spiritus celebratis, Hymnoque solito cum deuotione cantato, se in quodam Conclaui apud Castrum Nouum Ciuitatis Neapolitanę cōtiguum,vbi tunc idem Frater Petrus cum sua residebat familia incluserunt, vt per mutui commoditatem colloquij Ecclesiæ prædictæ prouisio, superna cooperante virtute, celeriùs perueniret; die verò Veneris immediatè sequente præfati Cardinales mentis oculis erectis ad Dominum,pia desideria benigniùs prosequentem in electionis negocio per viam

Scrutinij feruentibus ſtudijs, vt prædicta vitarentur incommoda, procedentes, & tandem cum diuina clementia Eccleſiæ prælibatæ compatiens eam nollet vlterioris vacationis periculis ſubiacere, ad perſonam noſtram licet immeritam intentum animum dirigentes, quamquam inter eos quàm plures magis idonei, & digniores etiam haberentur, Nos tunc tituli Sancti Martini Presbyterum Cardinalem in Summum Pontificem canonicè elegerunt, grauis oneris ſarcinam noſtris debilibus humeris imponendo. Nos autem profunda, & ſedula meditatione penſantes difficultatem officij paſtoralis, continui laboris anguſtias, & pręcellentiam Apoſtolicæ dignitatis, quæ ſicut honoris titulis altioris attollit, ſic magnitudine ponderis deprimit grauioris. Attendentes inſuper noſtræ multiplicis imperfectionis inſtantiam expauimus, & hæſitauimus vehementer, nimioque concuſſum extitit ſtupore cor noſtrum: nam cum ad tolerandas particulares vigilias vix nobis poſſibilitas noſtra ſufficiat, ad vniuerſalis ſpeculæ ſolicitudinem vocabamur, & intolerabile Apoſtolici Miniſterij iugum inferebatur inſtanter debilitatis noſtræ ceruici iugiter ſupportandum, ac meritorum non ſuffulti pręſidio ad ſuſcipiendas Apoſtolorum Principis Petri claues, & gerendum ſuper omnes ligandi, & ſoluendi Pontificium angebamur. Veruntamen ne diuinæ Prouidentiæ opus impedire forſitan videremur, aut nolle noſtræ voluntatis arbitrium ſuo beneplacito conformare, ac etiamne corda lectorum concordia per noſtræ diſſentionis obiectum ad diſcordiam verteremus, voluntatibus tandem acquieuimus eorumdem ad ſubeundum iugum huiuſmodi, noſtros impo-

nentes

nentes humeros ſubmittendo; non quod de aliqua noſtræ probitatis virtute fiduciam habeamus, ſed quia in eius ſperamus clementiam qui confidentes in ſe non deſerit, ſed eis propitiùs oportunis auxilijs ſemper adeſt, quique de ſublimi polorum ſolio Eccleſiam ſponſam ſuam intuetur miſericorditer; & tuetur, ſuæque illam exaltare non deſinis copioſis beneficijs pietatis. Veſtris igitur, & aliorum ſuffragijs propter imperfectum noſtrũ propenſiùs indigentes Vniuerſitatem veſtram affectuosè rogamus, hortamur attentiùs, & requirimus confidẽter, quatenus aſſidua nos apud æterni Regis clementiã interceſſione iuuetis, humilitatem noſtram ſibi deuotis ſupplicationibus commendando, vt ſuper nos gratiæ ſuę dona multiplicet, & rorem vberem ſolitæ benignitatis effundat; vt actus noſtros ad ipſum deuotiſſimè dirigentes Eccleſiam ſuam, quam nobis committi voluit ſalubriter regere, ac de vniuerſo ipſius grege noſtræ vigilantiæ credito curam gerere debitam, ſicut expedit, valeamus. Nos verò ſtabiliter in animo gerimus vobis, & veſtris Eccleſijs benignis adeſſe præſidijs, ac veſtrum, & earum profectum condignis fauoribus promouere. Datum Laterani nono Kalendas Februarij. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

PRIMA

PRIMA CREATIO S. R. E. Cardinalium.

Ex Libro Obligationum.

Die 17. Decembris 1295. Romæ creati sunt.

FR. IACOBVS THOMASIVS Ordinis Minorum, ex sorore nepos, Presbyter Cardinalis, Tit. Sancti Clementis. Decessit Romæ die prima Ianuarij anno 1300. Ciacconus hunc asserit obijsse in interregno Benedicti XII. scilicet anno 1342.

FRANCISCVS NEAPOLIONIS VRSINVS Diaconus, S. Luciæ in Silice. Decessit initio anni 1312. *Ex Bulla Clementis V.* Hunc Ciacconus obijsse tradidit anno 1308. & rursus anno 1312. & additio 1361.

IACOBVS GAYETANVS DE STEPHANESCHIS, Diaconus Cardinalis S. Georgij ad Velabrum. Decessit die 23. Iunij anno 1341. *Ex libro Obligationum.* Ciacconus 1343.

FRANCISCVS GAYETANVS, ex Petro Gayetano nepos, Diaconus S. Mariæ in Cosmedin. Decessit Auenione die 16. Maij 1317.

PETRVS DE PIPERNO, Diaconus, S. Mariæ Nouæ. Decessit die 17. Decembris anno 1302. *Ex libro Oblig.* Ciacconus 1304.

SECVNDA

SECVNDA CREATIO.

Die 4. Decembris Anno 1298.

Ex Libro Obligationum.

GVNDISALVVS, ſeu CONSALVVS RODERICI Archiepiſcopus Toletanus, translatus eſt ad Eccleſiam Albanenſem. Deceſſit die 7. Nouembris Anno 1299.

TEODORICVS RAINERII DE VRBE-VETERI electus Piſanus, Papæ Camerarius, Presbyter tit. Sanctæ Crucis in Hieruſalem, die 13. Iunij 1299. creatur Epiſcopus Ciuitatis Papalis, ſeu Præneſtinus. Deceſſit die 7. Decembris Anno 1306. Ciacconus ex Epiſcopo Reatino creatum aſſerit Cardinalem.

FR. NICOLAVS BACASINVS TARVISINVS, Generalis Magiſter Ordinis Præd. Presb. tit. Sanctæ Sabinæ. Die 2. Martij 1300. creatur Epiſcopus Oſtienſis, & demum Benedictus XI.

RICARDVS PETRONVS DE SENIS S. R. E. Vicecancellarius, Diac. Sancti Euſtachij. Obijt die 10. Februarij 1314. Ciacconus die 26. Martij Anno 1313. In hac creatione Ciacconus recenſet LVCAM DE FLISCO, ET GENTILEM DE MONTE-FLORIS; qui reponendi ſunt in ſequenti.

TERTIA CREATIO.

Die Mercurii 2. Martii Anno 1300.

LEONARDVS PATRASSVS Archiepiſcopus Capuanu, tranſlatus eſt ad Ecclesiam Albanen. Deceſſit die 7. Decembris Anno 1311.

FR. GENTILIS DE MONTE-FLORVM, Ordinis Minorum Lector in Curia pro eodẽ Ordine, Presb. tit. Sancti Martini in Montibus. Obijt die 27. Octobris Anno 1312. *Ex libro Obligationum*, Additio ad Ciacconum 19. Octobris 1307.

LVCAS DE FLISCO ex Lauaniȩ Comitibus, Diac. Sanctæ Mariæ in via lata, adminiſtrator Eccleſiæ SS. Marcellini, & Petri, ac Eccleſiȩ SS. Coſmæ & Damiani. Deceſſit die vltima Ianuarij Anno 1336. *Ex libro Obligat.*

QVARTA CREATIO.

Die 25. Decembris 1302.

PETRVS HISPANVS, Epiſcopus Burgenſis, tranſlatus eſt ad Eccleſiam Sabinenſem. Deceſſit die 20. Decembris 1310. *Ex libro Obligationum.* Ciaccon. 1311.

FR. IOANNES DE MVRRO-VALLIVM, Ordinis Minorum Generalis Magiſter creatus eſt Epiſcopus Portuenſis. Deceſſit circa Annum 1313. *Ex libris Obligat. & Solut.*

Ciacconus in prima Creatione duos ſuperaddidit Cardinales, videlicet,

FR.

Fr. Andream De Comitibus, Ordinis Minorum, quẽ asserit Pileum recusasse.

Iacobum Sanctuccium Lucensem, Diacon. S. Georgij ad Velum Aureum.

De Iacobo fides sit apud Ciacconum, qui cum in prima Creatione affirmasset Iacobum Gayetani fuisse creatum Diaconum Cardinalem Sancti Georgij, statim oblitus asserit Iacobum Sanctuccium fuisse creatum Diaconum Cardinalem Sancti Georgij, cuius nulla extat memoria.

Pro Andrea Chronicon, & Conformitates Minorum refert, sed in Registro Pontificio, & in Libris Sacri Collegij, in quibus sunt descriptæ Creationes Cardinalium, Andreas non legitur.

Additio ad Ciacconum Reginaldum Minoritam Rothomagensem Archiepiscopum, Lectorem Sacri Palatii, creatum fuisse Episcopum Portuensem affirmat; sed erratum in nomine credam: nam Ioannes de Murro-Vallium Minorita ab anno 1302. ad annum 1313. fuit Episcopus Portuensis.

Vlterius Aegidium De Columna creatum asserit Cardinalem, sed paulò post ereptum è viuis, ac proinde publicè non fuisse renuntiatum. Aegidius decessit, dum esset Archiepiscopus Bituricensis, anno 1316. at Bonifatius 8. anno 1303. vnde cum Aegidius decesserit annis 13. post Bonifatium, potuit Aegidius tàm à Bonifatio, quàm à successoribus renuntiari, & declarari Cardinalis. Post hæc scripta Petrus Frizon in Gallia Purpurata affirmat Aegidium non fuisse publicatum Cardinalem à Bonifatio 8. ob superuenien-

tem eiuſdem Pontificis obitum; ſed etiam hoc diuinare eſt; nam Bonifatius decem menſibus ſuperuixit, ſi eos ab vltima Creatione numeres. Dicebam gitur Aegidium non fuiſſe creatum Cardinalem à Bonifatio: quia in Regiſtro Pontificio idem Aegidius anno 1305. & in publicis Inſtrumentis 1306. 7. & 10. vocatur ſimpliciter Archiepiſcopus Bituricenſis. Ac vti Archiepiſcopus interfuit Concilio Viennenſi ſub Clemente 5. Secundo, quia in antiqua ſepulchrali inſcriptione vocatur pariter Archiepiſcopus Bituricenſis, nulla facta mentione Cardinalatus. Tertio, quia in Libris ſacri Collegij, in quibus creationes Cardinaliũ ſunt deſcriptæ, Aegidius inter Cardinales non legitur. His adde diem Creationis eſſe incertum, & authores, qui illum Cardinalem creatum aſſerunt, inter ſe non conuenire in cauſa, ob quam non fuerit publicè renuntiatus; alij enim in ſuperuenientem Pontificis obitum referunt, alij in eiuſdem Aegidij exceſſum. Et tamen neutra ſubſiſtit, vti ſuperius dictum eſt.

Nicolaus Bocasinus de Taruisio Episcopus Cardinalis Ostiensis, & Velitérnus, Die Martis 12. Octobris anno 1303. in summum Pontificem eligitur. Die 27. Octobris eiusdem anni coronatur. Decessit Perusijs die 7. Iulij anno 1304. circa horam nonam.



ENEDICTVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Venerab. Fratribus Archiepiscopo Mediolaneñ, & eius suffraganeis salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Dominus, ac Redemptor noster per quẽ Pater ipsius ęternus vniuersa disponit, se dudũ ex abundantia pietatis ad humanæ salutem generationis inclinans Mortalitatis nostræ carnem induit factus homo, seque postmodum ipsi Patri veram pro nobis hostiam immolauit. Hic nempe sacrosanctam Ecclesiam sponsam suam, quam sui commercio sanguinis acquisiuit, tanta dilectione prosequitur, quod ipsam non solum per Angelos Cœli Ciues, qui eam custodiunt incessanter, sed etiam per terrigenas hominum filios, qui successiue regimini præsidentes illius acceptis clauibus Regni cœlestis in Apostolatus Officio B. Petro ex eiusdem Redemptoris dispositione succedunt, fouet clementer, protegit, & gubernat, vt & cœlestis Militiæ præsidio fulciatur, & terreni Pastoris Ministerio nõ frau-

detur. Verum opera diuinæ potentiæ plerumque mens humana miratur, dũ mirabiles personarum, & temporum immutationes attendit, in quorum contemplatione sensus hominis hebetatur, dum conatur perquirere inuestigabiles vias Domini, & eius occulta consilia perscrutari, ipse namque non nunquam potentes humiliat, ponit humiles in sublimi, fortem facit ex debili, balbutientibus eloquentiam tribuit, & prout vult, creaturarum conditiones variat, & dispensat munera gratiarum plenam, & perfectam habens ad singula, tanquam palma concludens omnia, potestatem. Nos autem nimirum in admirationem protrahimur, ac timor, ac tremor nos vehementer inuadunt, dum intra mentis arcana reuoluimus, quot & quantas immutationes receperit hactenus status noster, qui ab olim ad Ordinem Fratrum Prædicatorum professi putabamus abiecti esse in Domo Domini cum humilibus seruis eius, & sub obedientiæ iugo creatori reddere votum nostrum; sed diuini dispositione cõsilij post ministeria varia in Ordine prædicto nobis imposita, suscepimus Magistri generalis officium, ac subsequenter ad Cardinalatus apicem dignitatis per Apostolicam Sedem assumpti, cum aliquandiu nostri Ministerij debitum in gradu Sacerdotij egissemus, præfecti fuimus per sedem eamdem in Episcopum Ostiensem, nouissimè vero Fratrum nostrorum instantia, prout series infrascripta declarat, nos subire coegit sarcinam Apostolicæ seruitutis. Nuper enim fel. rec. Bonifatio Papa VIII. Prædecessore nostro, sicut Domino placuit, de hac luce subtracto, & sicut speramus post labores impensos ad præmium euocato, eiusque corpore cum exequia-

rum

rum ſolemnitate debita tradito Eccleſiaſticæ ſepulturæ, nos tunc vt pertangitur Epiſcopus Oſtienſis, cœterique Fratres Noſtri Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi S.R.E. Cardinales ad tractandum de Romani ſubſtitutione Pontificis in Palatio Sancti Petri de Vrbe, in quo deceſſerat Prædeceſſor ipſe, conuenimus, nobiſque, ac ipſis ad id eligentibus per viam præcedentis ſcrutinij, contigit illo faciente, qui concordiam diligit, quod vnico facto, ac publicato ſcrutinio, tanta finaliter in votis eorumdem Fratrum eſt inuenta concordia, quod per eos de nobis licet immeritis fuit ad Apoſtolatus officium 11. Kalendas Nouembris proximi futuri electio celebrata, in quo præadminiſtrationis magnitudine redditi, nec immerito, ſumus attoniti, ſtupor noſtrum animum hebetauit, eumque timor, & tremor pariter concuſſerunt. Nunquid enim non admiratione dignum, quod inter tot, & tantas eorumdem Fratrum perſonas vitæ, ac famæ claritate pollentes, virtutibus redimitas, abundantes inſuper multiplicium ſufficientia meritorum in præſidendo Apoſtolico culmine humilitas noſtra, quæ illis fuerat merito poſtponenda, præfertur: non nedum iniuncti oneris molem attendimus, & noſtram inſufficientiam comparamus, dignè inualeſcunt timor, & tremor, ne pro tantis debilitas ſub tantæ molis grauitate ſuccumbat. Non ne timendum iterum, & tremendum, ne iuſtus iudex, ſi rationem de talentis creditis veniat exacturus, & ſeruum minus vtilem a bono torpentem opere damnet? Hæc & alia plura, quæ prolixitatis vitandæ gratia ſermo ſubcinctus omittit, inſufficientiam noſtram a tantæ grauitatis onere ſubducendam adeo efficaciter ſuggerebant, quod

eorumdem

eorundem Fratrum importunitati diuersarum excusationum obijcem opponendo ea, qua potuimus, reluctatione restitimus: sed Fratres ipsi nostræ resistentiæ obuiantes nostris excusationibus non admissis nos ad conscendendam Petri Cathedram multæ importunitatis instantia deuicerunt. Nosque licet ex nostrorum defectuũ conscientia diffidentes, de illius tamen confisi omnipotentia, qui non solum sufficit eosdem supplere defectus, sed & potens est omnem gratiam abundare facere in nobis, ne sub obedientia nutriti diutius eam contemnere pertinaciter, grauiaque pericula, quæ imminent ipsi Ecclesiæ, totique terrarum orbi, ex eius vacatione verisimiliter timebantur, damnabiliter negligere censeremur, votis tandem Fratrum acquieuimus eorumdem, ac ad deferendum sarcinam Summi Apostolatus dimittentes humeros imbecilles recepti ab eis vnanimiter in Romanum Pontificem recepimus consequentur, solemnia benedictionis, & cœtera secundum morem præficiendorum Romanorum Pontificum in personas Prædecessorum nostrum hactenus obseruatum, anxiato, & humiliato spiritu Domino supplicando, vt ipse, qui nobis huiusmodi iugum subire concessit, sic ad ipsum portandum debilitatem nostram robore fulciat, sic illud faciat sua benignitate portabile, quod sub eo nos non contingat ex nostra debilitate deficere, sed ita nobis, & gregi Dominico nostræ vigilantiæ credito sua virtute perficere, qui de talento nobis tradito dignam possimus in extremo iudicio reddere rationem. Quo circa fraternitatẽ vestram rogamus, & hortamur in Domino per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus nobis compatientes

tes

tes in tanti ponderis grauitate ad ſupportandum illud miniſtretis, quantum in vobis eſt velut in partem Apoſtolicæ ſollicitudinis euocati, veſtri auxilij fulcimentum, commiſſas vobis Eccleſias, gregeſque Dominicos in eis vobis creditos gubernando ſollicitè, fideliter, & prudenter, ac fundendo pro nobis pias orationes ad Dominum, vt ipſe in executione paſtoralis Officij ſic ſua pietate nos dirigat, quod gratum noſtrum miniſterium fiat, ei ſpem certam de nobis & fiduciã habituri, quod vobis in ijs, quæ ad laudem Dei, veſtrarumque ſtatum Eccleſiarum ſpectare videbimus, fauorem libenter Apoſtolicum impendemus. Datum Laterani XI. Calendas Nouembris anno primo.

* *
*

PRIMA CREATIO
S. R. E. Cardinalium.

Romæ Die 18. Decembris Anno 1303.

FR. NICOLAVS DE PRATO, ex Ordine Prædicatorum, Episcopus Spoletanus, translatus est ad Ecclesiam Ostiensem. Decessit Auenione Anno 1321.

FR. GVILLELMVS PROVINCIALIS ANGLICVS Ordinis Prædicatorum, Presb. Card. tit. Sanctæ Sabinæ. Decessit Anno 1303. *Ex Manuscr.* incertum est tamen, an obierit ante creationem, vel post habitum nuntium de creatione.

SECVNDA CREATIO.

Die 11. Februarii 1304.

FR. GVALTERIVS, ex Ordine Prædicatorum Confessor, & familiaris Regis Angliæ, Presb. Card. tit. Sanctæ Sabinæ. Obijt Ianuæ Die 24. Septembris 1305. Londini sepultus.

CLE-

CLEMENS V.

Raimundus Bertrandi de Guto, ſeu de Goth, Ciuis, & Archiepiſcopus Burdigalenſis, extra numerum Cardinalium, dum eſſet Burdigalis, in Vigilia Pentecoſtes die 5. Iunij anno 1305. Peruſijs in ſummum Pontificem eligitur. Die Dominico 14. Nouembris eodem anno Lugduni Coronatur. Die 11. Aprilis anno 1314. in Rupemaura Nemauſen. Diœc. migràuit ad Dominum. Ex lib. Obligationum. *Apud Ciacconum legitur 20. Aprilis.*

PRIMA CREATIO Cardinalium.

Lugduni Die 15. Decembris anno 1305.

Petrvs De Capella, Epiſcopus Toloſanus, Presbyter Cardinalis, Tit. Sancti Vitalis; Deceſſit Epiſcopus Præneſtinus die 16. Maij 1312. *Ex libro Ob ligationum*, Additio ad Ciacconum die 24.

Berengarivs Fredoli Senior, Presbyter Cardinalis, Tit. SS. Nerei, & Achillei, poſtea Sanctorum Ioannis & Pauli; & Maior Pœnitentiarius. Deceſſit Epiſcopus Tuſculanus, & enuntiatur defunctus circa menſem Maij anno 1323. *Ex libro Diuiſionum*. Ciacconus vocat Berengarium Stadelli.

Arnaldus De Cantalupo electus Burdigaleñ, Presbyter Cardinalis, Tit. Sancti Marcelli. Obijt anno 1310.

Petrus Rainaldi Bearnensis, Abbas Sanctæ Crucis Burdigalensis. Obijt infra annum, *Ex Chronica impressa à Francisco Bosqueto in Vitis Pontificum*.

Fr. Thomas Anglicus Ordinis Prædicatorum, Presbyter Cardinalis, Tit. Sanctæ Sabinæ. Obijt die 13. Decembris anno 1310. dum Legatus ad partes Italiæ proficisceretur, *Ex libro Obligationum*. Ciaccon. anno 1311.

Fr. Nicolaus De Francavilla, Ordinis Prædicatorũ, Presbyter Cardinalis, Tit. Sancti Eusebij. Decessit anno 1323. Mense Ianuarij, vel Februarij. Hunc Ciacconus, & alij vocant Nicolaum Farinulam.

Stephanus Archidiaconus Burgeñ, seu de Bruges, Presbyter Cardinalis Sancti Cyriaci in Thermis. Obijt Viennæ die 10. Decembris 1311. *Ex lib. Obligationum*. Ciacconus vocat Archidiaconum Bituricensem, quẽ asserit obijsse anno 1308. Stephanus de Suisy ab alijs appellatur.

Petrus De Columna, Diaconus Cardinalis, Tit. Sancti Eustachij, à Bonifatio Octauo die 10. Maij 1297. priuatus, restituitur; seu de nouo creatur à Clemente. Decessit Auenione anno 1326. ad Basilicam Sanctæ Mariæ Maioris translatus.

Arnaldus De Pelagrua Diaconus Cardinalis Sanctæ Mariæ in Porticu. Decessit Mense Augusti anno 1331. *Ex Bulla Ioannis 22*. Ciaccon. 1335.

Raimundus De Guto, seu del Goth, Diaconus Cardinalis

nalis

nalis Sanctæ Mariæ Nouæ. Obijt die 26. Iunij 1310. Ciacconus asserit obijsse sub Ioanne 22.

IACOBVS DE COLVMNA Diaconus Cardinalis, Tit. Sanctæ Mariæ in Via lata die 10, Maij 1297. à Bonifatio Octauo priuatus, restituitur; sed de nouo creatur à Clemente. Decessit die 14. Augusti anno 1318,

GVILLELMVS RVFFATI Diaconus Cardinalis, Tit. Sanctorum Cosmæ, & Damiani. Obijt Presbyter Cardinalis, Tit. Sanctæ Pudentianæ die 24. Februarij 1311. *Ex libro Obligationum*, Ciaccon. circa annum 1320.

SECVNDA CREATIO

Die 18. & 19. Decembris 1310.

Ex Libro Obligationum.

ARNALDVS DE FALGVERIIS Archiepiscopus Arelatensis, creatur Episcopus Sabinensis. Decessit die 12 Septembris anno 1317. *Ex libro Solutionum*. Ciaccon. circa annum 1313. Additio, anno 1311.

BERTRANDVS DE BORDIS Episcopus Albieñ, D. Papæ Camerarius, Presbyter Cardinalis, Tit. SS. Ioannis, & Pauli. Obijt die 12. Septembris 1311.

ARNALDVS NOVELLI Abbas Fontis Frigidi Cisterciensis Ordinis, Vicecancellarius, Presbyter Cardinalis Sanctæ Priscæ. Obijt die 14. Augusti, hora Vespertina, anno 1317. *Ex libro Obligationum*, Additio ad Ciacconum, anno 1314.

RAIMVNDVS GVILLELMI De Fargis Thesaurarius Bel-

Iuacen. Nepos Pontificis, Diaconus Cardinalis, Tit. Sanctæ Mariæ Nouæ. Obijt die 5. Octobris 1346. *Ex libro Obligationum*, Ciacconus asserit obijsse Sede Vacante, post obitum Clementis Quinti anno scilicet 1314. vel 1315.

BERNARDVS DE GAVO Archidiaconus Constantiensis, Diaconus Cardinalis, Tit. Sanctę Agathæ in Suburra, vt in Testamento Clementis Quinti. Decessit anno 1328. *Ex libro Diuisionum*.

TERTIA CREATIO.

Auenione 14. Decembris 1312.

Ex Libro Obligationum.

GVILLELMVS DE MANDAGOTO Archiepiscopus Aquēsis, transfertur ad Ecclesiam Prænestinam. Decessit Mense Nouembris anno 1321. Hunc Ciacconus vocat Episcopum Ebredunen̄.

ARNALDVS DE AVXIO Episcopus Pictauiensis, (Papæ Camerarius, transfertur ad Ecclesiam Albanen̄. Decessit anno 1320. *Ex libro Diuisionum, sub Ioanne 22.* Ciacconus 1326.

IACOBVS ARNALDI DE OSSA Caturcen̄, Episcopus Auenionensis, transfertur ad Ecclesiam Portuensem, postea Ioannes XXII.

BERENGARIVS Fredoli iunior, Episcopus Biterrensis, Presbyter Cardinalis, Titul. SS. Nerei, & Achillei. Decessit Episcopus Portuensis sub Ioanne 22. & anno

no 1323. recenſetur inter Cardinales defunctos, non participantes, *Ex libro Diuiſionum* ſub Ioanne 22.

MICHAEL de Becco Normandus, Decanus Sancti Quintini in Viro mundum, Presbyter Cardinalis, Tit. Sancti Stephani in Cœlio Monte anno 1318. Recenſetur inter Cardinales non participantes defunctos.

GVILLELMVS Teſta, Presbyter Cardinalis, Tit. Sancti Cyriaci in Thermis. Obijt Auenione Menſe Nouembris anno 1326. *Ex Bulla Ioannis* 22. Ciacconus ait obijſſe Epiſcopum Albaneñ anno 1345. ſed eo tempore Gancelinus Ioannis erat Epiſcopus Albaneñ.

FR. GVILLELMVS PETRI De Baiona Ordinis Prædicatorum, Lector in Romana Curia, Presbyter Cardinalis, Tit. Sanctæ Cæciliæ, die 12. Septembris 1317. Creatur Epiſcopus Sabineñ. Obijt die 4. Iunij 1336. *Ex libro Obligationum.*

FR. VITALIS De Furno, Ordinis Minorum, Prouincialis Aquitaniæ, Presbyter Cardinalis, Tit. Sancti Martini in Montibus. Obijt Epiſcopus Albanenſis die 16 Auguſti 1317. *Ex Tumulo.*

FR. RAIMVNDVS Abbas de Sancto Seuero Adureñ Diœceſis, Presbyter Cardinalis, Tit. Sanctæ Pudentianæ. Obijt die 19. Iulij 1317. Hunc Ciacconus vocat Petrum Gallum Monachum.

Ciacconus, Arnoldum Epiſcopum Aquenſem Cardinalem Epiſcopum Albanum, & Arnaldum de Auxio Epiſcopum Pictauieñ, poſtea Sabinum, aſſerit duos eſſe Cardinales, cum tamen ſit vnus, & idem Arnaldus, quem ipſe ſuperadditis Titulis, & Epiſcopatibus diuidit in duos; cum enim illi eſſet exploratum, no-

uem

uem fuisse creatos Cardinales, & omitteret Berengarium, de quo infra, coactus est reperire nonum Cardinalem; quapropter duos expressit Arnaldos, tum tamen in hac Creatione vnus fuerit Arnaldus, & is vocetur Arnaldus de Auxio Episcopus Pictauiensis, qui transfertur ad Ecclesiam Albaneñ., vt legitur *in Libro Obligationum*, in quibus creatio descripta est: in eumdem errorem lapsus est Frizon in Gallia Purpurata.

Non meminit Berengarij iunioris Tit. SS. Nerei, & Achillei, postea Episcopi Portuensis. Petrus vero Frizon in Gallia Purpurata post hæc scripta editus, vnum credidit Berengarium Fredoli fuisse creatum Cardinalẽ à Clemente V. & tamen duo Berengarij fuerunt creati eiusdem nominis, cognominis, Tituli, & Archiepiscopatus, ac *in Libris Sacri Collegij Cardinalium* Berengarius Episcopus Tusculanus sæpius appellatur Berengarius Fredoli Senior, & Berengarius Episcopus Portuensis Berengarius Fredoli Iunior, vti duo Cardinales de communibus seruitijs participantes; & ambos Cardinales, vti iam defunctos, recẽset Ioannes 22. in Bulla data 13. Kalendas Iulij anno 11.

Insuper, Idem Petrus asserit anno 1312. in tertia creatione, fuisse creatum Cardinalẽ Petrũ Archimandritam S. Seueri, quo authore id asserat, incertũ. In *Libris Sacri Collegij* in descriptione Card. die 24. Dec. 1312. creatorum Petrus non legitur, fides sit penes authorem.

Postremò in appendice ad Galliam Purpuratam affirmat Petrus Bertrandum de Cardaliac creatum fuisse Card. Epm Portueñ eodem anno 1312. sed error deprehenditur ex eisdem *Libris Sacri Collegij*, in quibus Bertrandus inter Cardinales non recensetur.

IOAN

IOANNES XXII.

Iacobus de Osa Cadurcensis Episcopus Cardinalis Portuensis, Lugduni in domo Fratrum Ordinis Prædicatorum die Sabathi 7. Mensis Augusti ante horam Tertiæ, anno 1316. in Summum Pontificem eligitur. Die 5. Septembris eiusdem anni Coronatur. Die 4. Decembris anno 1334. Auenione migrauit ad Dominum.



OANNES. Venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Remeñ, eiusque Suffraganeis, &c. Mira, & inescrutabilis prouidentia Dei summa, firmam retinens in sua dispositione censuram circa Sacrosanctam Ecclesiam Catholicã, quam sibi charitatis ineffabilis dulcedine copulauit, ita suæ benignitatis affectum, & protectionis auxilium gratiosè continuat, quod vbi ex insurgentis fremitu tempestatis submergi creditur, paratur eidem ex commotione tranquillitas, & in auram mitescentibus procellosi turbinis fluctibus ab instãtibus periculis prorsus seruatur immunis. Hoc quippe multifarie, multisque modis ipsa magistra rerum experientia olim edocuit, & nouissime diebus istis idipsum euidenter ostendit, dum tempore pius Pater, & misericors Dominus Ecclesiam ipsam inter longæ, ac periculosę nimis viduitatis angustias fluctuan-

tem

tem de ſuo habitaculo præparato oculo benigno reſpexit. Dudum ſiquidem, ſicut veſtram credimus notitiam non latere, Sanctæ recordationis Clemente Papa Quinto Prædeceſſore noſtro, de præſentis vitæ mœroribus ad cæleſtem patriam euocato. Nos, & Fratres noſtri eiuſdem Eccleſiæ Cardinales. de quorum numero tunc eramus, cupientes eidem Eccleſiæ de Paſtore celeriter prouidere, iuxta Conſtitutionem Apoſtolicam ſuper hoc editam, Nos incluſimus in Conclaui, quod in Ciuitate Carpent. vbi tunc Romana Curia reſidebat, extiterat præparatum. Demum verò electionis procedente negocio imperfecto ex certis cauſis legitimis, Conclaue prædictum egredi neceſſitate expulſi, Nos ad diuerſa loca tranſtulimus, prout vnicuique Noſtrum expediens viſum fuit, cumque poſtmodum diffuſi temporis ſpatio, ſicut Domino placuit, interiecto ad Ciuitatem Lugdunẽ pro eiuſdem electionis negocio concorditer veniſſemus, vias noſtras illo dirigente qui nouit, & tandẽ die ſeptima præteriti Menſis Auguſti, in loco Fratrum Ordinis Prædicatorum Lugduñ, in quo reſidebamus inſimul pro præfato electionis negocio fuiſſemus in loco ſolito congregati, benignus ſapiens Spiritus noſcens tanta molimina, tàm prolixæ ipſius Eccleſię viduitati pie compatiens, cum eam nollet vlterioris viduitatis incommodis ſubiacere, Fratrum Prædicatorum corda ſic adduxit ad ſpiritus vnitatem, quod miro Dei, & Nobis nimirum ſtupendo conſilio ad imbecillitatem noſtram oculis dirigentes, Nos tunc Portuenſem Epiſcopum ad ſuſcipiendum onus nobis ex humano defectu importabile curam, videlicet, vniuerſalis gregis Dominici con-

cor-

corditer, nemine discrepante, in Summum elegerunt. Nos autem difficultatem officij Pastoralis, continui laboris angustias, & excellentiam dignitatis Apostolicæ, infra nostra præcordia recensentes, nostrarumque metientes virium paruitatem timore, ac tremore concussi vehementer hæsitauimus, nec indignè. Quid enim tam timendum, tamque pauendum, quam fragili labor, indigno sublimitas, & dignitas non merenti? Verum ne post eiusdem vacationis tam diffusa, & dispendiosa tempora obstinata contradictionis reluctatio profusioris dispendij occasionem induceret, Nos quoque de nostra, quam noster nobis animus attestatur, insufficientia desperantes, humiles nostros ad montem illum conuertimus oculos, vnde nobis spe multa promittitur auxilium opportunum, sicque de superabundantia illius omnipotētiæ concepta fiducia, cui, cum voluerit, subest posse, nec non de ipsorum Fratrum nostrorum eminenti scientia, industria circumspecta, & experientia multa in agendis comprobata confisi, quorum sano Consilio dirigi speramus in dubijs, & fulciri suffragijs in aduersis, in humilitatis spiritu consensum præbuimus electioni prædictæ tantique oneris sarcinæ imbecilles exposuimus humeros debiles, misimus manus ad fortia, & colla nostra huiusmodi iugo submisimus Apostolicæ seruitutis, suppliciter implorantes, vt ipse qui per huiusmodi vocationem, in maris mundi huius altitudinem nos deduxit, non patiatur nos ab ipsius tempestate demergi, sed illam nobis suæ potentiæ dexteram porrigat, quæ Apostolorum Principem ambulantem, & hæsitantem in fluctibus, ne mergeretur, erexit, & Apostolum eius Paulum nocte,

ac die in profundo maris positum liberauit, viamque nobis, & vobis, cunctisque Catholicis Principibus, ac cæteris Christianis illis præsertim, qui ad hoc viuificæ Crucis signum assumpserunt salubrem, & paratum aperiat nostris, & illorum conditionibus perinfundat affectum, & infusum augeat, & conseruet; virtutesque opportunas sua dignatione tribuat ad parandum festinum, & efficax Terræ Sanctæ subsidium, & ad recuperandum hæreditatis Dominicæ præclare funiculum de infideliũ manibus, ad quod vtique desiderium habemus intensum, & quia, quod in hac parte nostris exequi meritis non valemus, multiplicatis intercessoribus nobis confidimus elargiri orationum vestrarum suffragia fruenti desiderio imploramus, vniuersitatem vestram monentes, & hortantes in Domino; vosque nihilominus rogantes instanter, quatenus ministerij vestri, ad quod estis vocati memores, cum, vt nostis, sitis in partem tantæ solicitudinis nobis singulariter iudicem vocati, sic ipsum auxiliante Domino ministerium impleatis, vt vos ipsos hostiam Deo offerentes Populum custodiæ vestræ creditum reddatis Domino acceptabilem, ac bonorum operum sectatorem, nostræque debilitati deuotis orationibus apud Dominum assistatis, & assisti per vestros subditos exhortationibus efficacibus procuretis, supplicationibus sedulis, & deuotis eidem per vos, & illos crebrius effundatis, vt in vnigeniti Filij sui beneplacito dirigant actus nostros nobis, ac vobis, cæterisque vestrum Pastoribus sua pietate concedat, sic erga gregem Dominicum cura peruigili noctis obseruare vigilias, quod non pateat aditus ascendentibus ex aduerso, quodque in eo mansuetudo

super-

ſuperueniens correptionem inducat, & reddatur Domino Populus Chriſtianus voluntatis acceptæ pacis ex hoc procul dubio commodis potiturus, noſtram inſuper inſufficientiam ſuppleat, debilitatem fulciat, nobiſque, quod onerosum eſt, leuiget, quod obſcurum, ſuæ claritatis luce reuelet, & aſpera conuertat in plana, ſicque vota noſtra præueniendo clementer aſpiret, & miſericorditer adiuuando benignus proſequatur, quod zelus noſter ſemper in ipſius beneplacitis ferueat, nec nunquam in illorum executione tepeſcat. Nos autem in animo ſtabiliter gerimus, quantum cum Deo poterimus honori veſtro deferre, & in veſtris, & Eccleſiarum veſtrarum commodis, pro quibus ad nos recurrere cum ſecuritate poteritis, Apoſtolicæ Sedis fauorem propitium exhibere. Datum Lugduni Nonis Septembris. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

PRIMA CREATIO
S. R. E. Cardinalium.

Die 18. Decembris Anno 1316. Auenione.

BERNARDVS De Caſtaneto, Epiſcopus Anicienſis, traſfertur ad Eccleſiam Portueñ. Obijt die 14. Auguſti 1317. *Ex libro Solutionum.* Ciacconus circa an. 1326.

IACOBVS De Via, electus Auenioneñ, Presbyter Cardinalis, Tit. Sanctorum Ioãnis, & Pauli. Deceſſit die 13.

Iunij Anno 1317.

GAVCELINVS IOANNIS Vicecancellarius, Presbyter Cardinalis, Tit. Sanctorum Marcellini, & Petri. Obijt Episcopus Albanensis die 3. Augusti 1348. *Ex libro Obligationum.* Ciacconus 1337.

BERTRANDVS De Poietto, Presbyter Cardinalis, Tit. Sancti Marcelli. Decessit Episcopus Ostiensis die 3. Februarij anno 1352. *Ex libro Obligationum*, Ciacconus anno 1346.

PETRVS De Arreblayo Regis Franciæ Cancellarius Presbyter Cardinalis, Tit. Sanctæ Susannæ. Obijt 1329. Ciacconus Sanctæ Sabinæ.

BERTRANDVS De Monte Fauentio, Diaconus Cardinalis Tit. Sanctæ Mariæ in Aquiro. Obijt die 1. Decembris 1342. *In libro Obligationum*. Ciacconus 1343. qui annus etiam in tumulo legitur.

GALHARDVS De Mota Diaconus Cardinalis Sanctæ Luciæ in Silice. Decessit die 20. Decembris 1356. Ciacconus 1357.

IOANNES Gaytanus de Vrsinis, Diaconus Cardinalis, Tit. Sancti Theodori. Decessit Auenione anno 1339. ex Ciaccono.

SECVN-

SECVNDA CREATIO

Die 20. Iunii 1317.

Ex Libro Solutionum.

Ciacconus die 24.

ARNALDVS De Via frater Iacobi de Via, Cardinalis Diaconus, Tit. Sancti Eustachij. Obijt 24. Nouembris anno 1335. ***Ex libro Obligationum.*** Artaudus in Monimentis Prioratus Monsteriensis vocatur, sed errore Emanuensis.

TERTIA CREATIO.

Die Veneris 20. Decembris 1320.

REGINALDVS, seu RAYNALDVS De la Porta, Archiepiscopus Bituricensis, Presbyter Cardinalis, Tit. SS. Nerei, & Achillei. Obijt Episcopus Ostiensis anno 1326. post Mensem Iunij, vt colligitur ***Ex libro Diuisionum.*** Ciacconus 1325.

FR. BERTRANDVS De Turre, ex Ordine Minorum, Archiepiscopus Salernitanus, Presbyter Cardinalis, Tit. Sancti Martini in Montibus. Obijt Episcopus Tusculanus circa annum 1330. ***Ex Bulla Ioannis 22.*** Ciacconus anno 1324. & alibi 1327.

PE-

PETRVS De Prato Archiepiſcopus Aquenſis, Presbyter Cardinalis, Tit. Sanctæ Pudentianæ. Obijt Epiſcopus Prænestinus, ex epidemia, anno 1361. Hunc eſſe Petrum Aureolum nonnulli falſo crediderunt.

SYMON De Archiaco electus Viennenſis, Presbyter Cardinalis, Tituli Sanctæ Priſcæ. Deceſſit anno 1323. *Ex libro Diuiſionum*.

PILEVS Fortis de Rabaſtenchis Epiſcopus Riuenſis, Presbyter Cardinalis, Tit. Sanctæ Anaſtaſiæ, è viuis exceſſit Ioan. XXII. Pontifice.

PETRVS Textoris de Sancto Antonio, Vicecancellarius, Presbyter Cardinalis, Tit. Sancti Stephani in Cœlio Monte. Obijt Menſe Iunij 1325. *Ex libro Diuiſionum*.

RAIMVNDVS De Ruffo de Caturco, Nepos Pontificis, Diaconus Cardinalis, Tit. Sanctæ Mariæ in Coſmedin. Obijt menſe Nouembris 1325. *Ex libro Diuiſionum*.

QVARTA CREATIO.

Die 18. Decembris 1327.

IOANNES de Conuenis Archiepiſcopus Toloſanus transfertur ad Eccleſiam Oſtienſem. Deceſſit die 20. Nouembris 1348. *Ex libro Obligationum*. Ciaccon. Menſe Februarij 1349.

ANNIBALDVS de Ceccano Archiepiſcopus Neapolitanus, Presbyter Cardinalis, Tit. Sancti Laurentij in Lucina, *Ex Bulla Ioannis* 22. Obijt Epiſcopus Tuſculanus.

IACOBVS Nouelli, Ordinis Ciſtercienſis, Epiſcopus Mirapicenſis, Presbyter Cardinalis, Tit. S. Priſcæ, po-

ſtea

ſtea Benedictus Duodecimus.

RAIMVNDVS de Maſtogiolis Epiſcopus Sancti Pauli, Presbyter Cardinalis, Tit. Sancti Euſebij. Obijt die 12. Nouembris 1335. Ciacconus 1337.

PETRVS de Mortuomari Epiſcopus Antiſiodorenſis, Presbyter Cardinalis, Tit. Sancti Stephani in Cœlio Monte. Obijt Epiſcopus Sabinenſis Anno 1345. alij 1350. ipſo die Paraſceuæ.

PETRVS de Capis Epiſcopus Carnotenſis, Presb. Cardinalis, Tit. Sancti Martini in Montibus. Obijt die 24. Maij 1336.

FR. MATTHEVS de Vrſinis, ex Ordine Prædicatorum, Archiepiſcopus Sipontinus, Presbyter Cardinalis, Tit. Sanctorum Ioannis, & Pauli, die 18. Decembris 1338. creatur Epiſcopus Sabinenſis. Deceſſit die 18. Auguſti 1340.

PETRVS Gomeſij de Toledo, Epiſcopus Carthaginenſis, Tit. Sanctæ Praxedis, Presbyter Cardinalis. Obijt Epiſcopus Sabinenſis die 14. Iulij 1348. Ciacc. 1349.

YMBERTVS de Puteo de Montepeſſulano, Presbyter Cardinalis Baſilicæ SS. Duodecim Apoſtolorum. Obijt die 26. Maij 1348. *Ex libro Obligationum*. Ciacconus 1347.

IOANNES de Columna Romanus, Diaconus Cardinalis Sancti Angeli. Obijt die 3. Iulij 1348. Ciaccon. 1347.

QVINTA

QVINTA CREATIO

Die 25. Maii 1331.

Ex Bullis Ioannis XXII.

Ciacconus in quatuor Temporibus post Pentecosten.

TALAYRANDVS Comes Petragoricensis Episcopus Antisiodorensis, Presbyter Cardinalis, Tit. Sancti Petri ad Vincula. Obijt Episcopus Albanensis die 17. Ianuarij 1364. *Ex libro Obligationum.* Ciaccon. 1346.

SEXTA CREATIO.

Die 20. Decembris 1331.

Ex Bullis eiusdem Ioannis XXII.

PETRVS Bertrandi Senior, Episcopus Aeduensis, Presbyter Cardinalis, Titul. Sancti Clementis. Decessit 23. Iunij 1348. *Ex libro Obligationum, & Diuisionum, & Bullis Ioannis 22.*

Hunc Cardinalem, & hanc Creationem Ciacconus omittit; agnouit tamen additio ad alium Cardinalem Petrũ Bertrandi à Clemente Sexto creatum, quæ tamen, cũ asserit Petrum Bertrandum Seniorem fuisse creatum ab Innocentio Sexto, & obijsse Episcopum Ostiensẽ, labitur: ipse enim obijt Presbyter Cardinalis, cum Titulo Sancti Clementis.

Ciacconis additio, refert Aymericum de Castroluci Episcopum Carnotensem fuisse creatum Cardinalem anno 1332. Tit. Sancti Martini in Montibus, eumque esse diuersum ab alio Aymerico, quem Clemens VI. anno 1342. ad Cardinalatum assumpsit. Sed hunc Aymericum creatum fuisse à Ioanne XXII. non docet: de eo in publicis documentis nulla fit mentio, & Rubeus, quem refert additio, Aymericum vocat Diaconum Transigenensem, non autem Cardinalem, vt in *Libro 6. Historiæ Rauennatensis*, vnus igitur est, idemque Aymericus à Clemente VI. creatus; cuius tamen opera, cum adhuc non esset Cardinalis, vsus est Ioannes XXII. vt constat *Ex Registro Bullarum*.

Nonnulli Aluarum Pelagij, qui De planctu Ecclesiæ Librum edidit, inter Cardinales enumerant, sed nullum laudant authorem, nec ipsi ab alijs laudantur, cum sine authoritate loquantur.

Petrus Frizon in Gallia Purpurata, post hæc scripta editus, affirmat Guilielmum de Tria Archiepiscopum Rhemensem renuntiatum fuisse S. R. E. Cardinalem, anno 1316. in prima Creatione, & vixisse vsque adannum 1334. sed loquitur nullo dato Authore. In *Libris Sacri Collegij* recẽsentur Cardinales creati die 18. Decembris 1316. inter quos hic Guiglielmus nõ legitur, quare credebam non fuisse Cardinalem, præsertim cum eius Cardinalatus Titulus ignoretur, & verisimile est sine Titulo non vixisse annis 18. & à scriptoribus de eo nulla fit mentio.

Vlterius Petrum de Prælatis creatum asserit Cardinalem anno 1317. non autem declarat, qui Titulus Cardi-

nalatus fuerit illi concessus, aut quo tempore vixerit. Hunc non fuisse Cardinalem euincunt *Libri Sacri Collegij*, in quibus vnica tantum Creatio facta à Ioanne XXII. describitur anno 1317. in eaque Creatione vnicus tantum Cardinalis recensetur, scilicet Arnaldus de Via, Nepos Pontificis.

Michael Ebrardus à Sancto Sulpitio: huic nullus adscribitur Titulus: creatus asseritur anno 1320. sed inter septem Cardinales descriptos in *Libro Sacri Collegij* eodem anno creatos, Michael non legitur. Massonius à Frizone relatus asserit id accepisse à consanguineo Ebrardi, fides erit penes eumdem.

Petrus Aureolus, ex Ordine Minorum anno 1327. creatus est Cardinalis, si credimus Frizoni, Sanctum Antoninum, & alios referenti: hic in *Libris Sacri Collegij* non legitur; & eodem laborat, quo cœteri infortunio, scilicet, vt toto vitæ suæ tempore Cardinalatus Titulo caruerit, & nihil vti Cardinalis egerit, quod memoriæ proditum sit. Ad authoritatem Sancti Antonini *tit. 24. cap. 28. suæ Historiæ* respondetur, Sanctum Antoninum meminisse Petri Aureoli, vti viri celebris opinionis, sed nihil de ipsius Cardinalatu assereret.

Ioannem Galicanum Episcopum Attrebatensem fuisse creatum Cardinalem anno 1351. affirmat idem Frizon: & huius etiam Cardinalis omnis memoria perijt, & Titulus ignoratur, & Amanuensi Sacri Collegij fuit incognitus.

Denique Frizon, Imbertum de Pons, Tit. Basilicæ Sanctorum Duodecim Apostolorum, refert inter Cardinales creatos à Ioanne XXII. anno 1327. & decessisse

signi-

ſignificat anno 1347. Imbertum verò de Puy, Tit. Baſilicæ Duodecim Apoſtolorum enumerat inter Cardinales creatos anno 1331. & deceſſiſſe anno 1350.

In *Libris Sacri Collegij* inter Cardinales creatos à Ioanne XXII. legitur Imbertus de Puteo (quem Frizon vocandum eſſe Imbertum de Pons exiſtimat) pro Titulo aſſignatur eidem Baſilica Duodecim Apoſtolorum die 26. Maij 1348. *Ex libro Obligationum*, quare vnum, eumdemque, non autem duos fuiſſe Cardinales licet aſſerere.



NICOLAVS QVINTVS
Pſeudo-Pontifex.

Fr. Petrus Rainalluccius de Corbario, Reatinæ Diœceſis, ex Ordine Minorum die 12. Maij anno 1327. Romæ declaratur Pſeudo-Pontifex, aſſerentibus tantummodo duodecim Clericis, qui ſe Cleri Vrbis Procuratores eſſe dicebant, Ludouico Bauaro, qui ſe pro Imperatore gerebat, adnitente. Ibidem Coronatur à Iacobo Epiſcopo Caſtellano, qui anno antecedenti fuerat Epiſcopatu deiectus Piſis, ac iterum, atque iterum Auenione in publico, & priuato Conſiſtorio abdicauit coactus, die 25. Auguſti 1330.

IOANNES, &c. Archiepiſcopo Piſano, & Florentino Epiſcopo, & Electo Lucano, ſicut ad communem, credimus, notitiam perueniſſe, Nos dudum aduerſus hominem illum ſcãdaloſum, & reprobum Petrum de Corbario, qui dudum vxore ſua legitima, cum qua pluribus annis in menſa, & lecto cohabitarat, eadem minimè conſentiente dimiſſa, Fratrum Minorum aſſumpſit habitum, & pro Fratre Minore ſe geſſit, quique propter inobedientias, culpas graues, contumacias, & ſcandala per ipſum in Ordine ſupradicto commiſſa per ſuum immediatum ſuperio-

periorem excommunicationis innodatus extitit ſententia, & declaratus carceri mancipandus, & tandem per Ludouicum olim Bauariæ Ducem, & diſcorditer in Regem Romanorum, vt dicebatur, electum, qui exigentibus ſuis culpis, contumacijs, inobedientijs, & deteſtandis exceſſibus excommunicatus, & iure, ſi quod ſibi forſitan ad Regnum Romanorum, vel Imperium ex electione diſcordi prædicta fuerat acquiſitum, nec non Ducatu Bauariæ, ac priuilegijs Apoſtolicis, & Imperialibus, bonisque omnibus, & feudis, quæ à Romana, vel quibuſuis alijs Eccleſijs, ſeu Imperio quomodolibet obtinebat, iuſto priuatus iudicio, & de criminibus hæreſis, & ſchiſmatis ex diuerſis cauſis, & capitulis per diuerſos proceſſus noſtros, cum magna maruritate de Fratrum noſtrorum conſilio habitos extiterat, finaliter condemnatus, ſe in Antipapam, & Apoſtaticum in noſtri contumeliam Redemptoris, totiusque cœtus Fidelium eluſionem, opprobrium, periculum, ſcandalum, & iacturam eidem Ludouico huiuſmodi abhorrendo factionis miniſtro, aſſiſtentibus quibuſdam, qui ſe Cleri Vrbis procuratores eſſe dicebant, permiſit eligi, & nefandæ huiuſmodi electioni ſuum aſſenſum præſtitit; & à Iacobo olim Epiſcopo Caſtellano ſuis demeritis exigentibus excommunicato, & depoſito, conſecrationem, ſeu verius execrationem, ac temerariam Coronationem recepit: quẽadmodum proceſſum de Fratrum eorumdem conſilio præſente Fidelium multitudine copioſè habuimus, per quem eumdem Petrum, qui velut in profundum malorum demerſus extendere non formidabat ad omnia illicita manus ſuas, in eadem Vrbe interdicto ſuppoſita Ec-

clesiastico, præsentibus dicto Ludouico, & alijs multis excommunicatis hæreticis prophanando Diuina, & nonnullos tàm Cardinales, quàm Notarios, & Officiales alios, ac Prælatos creando schismaticè, & de facto, ac Beneficia, & Officia conferendo, & alia, quæ horrorem in auribus fidelium meritò debent ingerere, detestandis ausibus exercendo, perpetuo anathemate, cum suis auctoribus, fautoribus, & sequacibus à liminibus Sanctæ Dei Ecclesiæ separatum, sicut Antichristum, & inuasorem, ac totius Christianitatis, quantum erat in eo, destructorem, de dictorum Fratrum consilio abiecimus, ipsumq. ab omni gradu Ecclesiastico, in quo prius existeret, duximus de potestatis plenitudine deponendum quemcũque, qui eum recipere, vel eidem qualitercumque tanquam Summo Pontifici adhærere, vel reuerentiam exhibere, aut ipsum in aliquo defendere præsumeret, pari sententia mancipantes; & quia dictus Petrus ambitione sua damnabili S. R. E. quantum in eo fuerat, confundere, ac perturbare tentauit, tàm ipsum, quàm eos, qui eum reciperent, excommunicationis subiacere sententiæ voluimus, & totius Sacri Ordinis duximus priuatione mulctandos ita, ut viatici eis, nisi tantum in vltimis, communio negaretur, qui & reputarentur, nisi resipiscerent, cũ impijs, qui non resurgunt in iudicio; & cum Dathan, & Abiron, quos terra viuos absorbuit, reciperent portionẽ, iramque Omnipotentis, & Sanctorum Petri, & Pauli Apostolorum, quorum Ecclesiam præsumpserat, quantum in eo erat confundere, furorem in hac vita sentiret contra se pariter, & futura fieret quoque habitatio eius deserta, & filij eius orphani, & vxor ipsius vidua, commoti amo-

uerentur-

uerentur ipse,ac eius filij, & mendicarent, eijcerenturq. de domibus suis,scrutaretur fœnerator omnem substantiam eius,& diriperent alieni labores ipsius, Orbis terrarum pugnaret contra eum,& cuncta essent sibi elementa contraria, omniumque Sanctorum merita illum confunderent apertam super eum in hac vita ostendentes vindictam; illos verò,qui ei curarent resistere,ipsumque persequi, & repellere,Omnipotentis protegat gratia; & eorundem Apostolorum absolueret auctoritas ab omnium vinculis peccatorum.

Præterea præfatum Petrum, propter multa execranda,quæ contra fidem Catholicam commiserat, & etiam committebat, ex quibus noscebatur in damnata hæresi, & schismatis crimina incidisse,de Fratrum eorundem cõsilio hæreticorum fautorem,ac schismaticum, & hæreticum reprobauimus, ipsum ab omni gradu Ecclesiastico degradantes, ac in omnes pœnas, & sententias inflictas hereticorum fautoribus,hæreticis, ac schismaticis, & cõmittentibus delicta, quæ ipse commisisse dignoscitur, declarauimus incidisse, omnibusque,quæ sub nomine Papæ assumpto, vt præfertur gesserat nullis,irritis, & vacuis pronunciatis per nos, & etiam declaratis, & quatenus de facto processerant cassatis, irritatis, annullatis, ac viribus penitus vacuatis. Rursus Vniuersis Patriarchis, Archiepiscopis,Episcopis,alijsque Personis Ecclesiasticis quibuscumque, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis, & suspensionis ab Officijs, & Beneficijs,quos non parendo eos incurrere volumus ipso facto; necnon priuationis,depositionis,& inhabilitationis prælationis, dignitatum, officiorum, & beneficiorum suorũ

Eccle-

Ecclesiasticorum pœnis, & sententijs; & insuper omnibus Ciuitatibus, Terris, & Locis, ac Vniuersitatibus, Cōmunitatibus, & personis alijs singularibus quibuscumq. cuiuscumque dignitatis, aut status existerent, etiam Imperiali, Regali, vel alia quacumque dignitate fulgerent, sub excommunicationis in personas singulares, & interdicti in Ciuitates, Terras, Loca, eorumque Communitates, & Vniuersitates, quas, nisi mandatis, & monitionibus nostris parerent, cum effectu incurrerent ipso facto; nec non priuationis priuilegiorum quorumcumque Apostolicorum, & Imperialium, ac feudorum, & bonorum, quę ab eadem Romana, vel quibusuis alijs Ecclesijs, aut Imperio obtinebant, pœnis, & sententijs mandauimus, & expressè diximus inhibendum, ne dictum Petrum hæreticorum fautorem, hæreticum, & schismaticum receptarent, defenderent, aut sibi adhærerent, obedirent, fauerent quomodolibet, seu intenderent, aut præstarent per se, vel alium, seu alios publicè, vel occultè, directè, vel indirectè auxilium, consilium, vel fauorem, nec eundem pro Papa, seu Summo Pontifice, vel Prælato haberent, tenerent, aut nominarent quouis modo; sed eum potius velut hæreticorum fautorem, ac schismaticū, & hæreticum, & quantum in eo erat, Sanctæ Dei Ecclesiæ, Fideiq. Catholicæ destructorem, & persecutorem abijcerent, abhorrerent, persequerentur, & si possent, caperent, & custodirent fideliter, subeundum Ecclesiasticæ disciplinæ; nec aliquos ordinatos, seu promotos ab ipso Clericos, vel Laicos, Religiosos, aut Sæculares reciperent, vel admitterent, aut eis obedirent, vel intenderent, nec haberent pro talibus, cum ipse nullam potestatem habuisset, nec

haberet

haberet talia faciendi, nec cum ipso aliquam societatem, vel cõfœderationem contraherent, vel contractam obseruarent, nec consentirent, etiam contrahendæ. A quibus quidem pœnis, & sententijs nullum ab alio, quàm à Romano Pontifice, posse absolui voluimns, nisi ab excommunicationis sententia, dumtaxat in mortis articulo, vel etiam liberari eisdem, & eorum singulis; apertius nihilominus prædicentes nos ad inflictionem, publicationem, executionem, & aggrauationem dictarum pœnarum coniũctim, vel diuisim, prout excessuum cuiuslibet enormitas exigeret, & expedire videremus, absque citatione, & monitione alia, si quando, & quoties opportunũ existeret, processuros. Non obstantibus quibuscunque Priuilegijs, Constitutionibus, seu Indultis, quæ cõtra processum nostrum prædictum nulli suffragari volumus; sed ea quoad hæc potius viribus duximus vacuanda. Colligationes, pactiones, societates, confœderationes, & ligas contra præmissa, vel præmissorũ aliqua factas inter quoscunque, vel irritas sub quacumque forma, vel expressione verborum, etiamsi pœnarum adiectione, iuramentis, vel quibuscumque firmitatibus alijs vallatæ fuissent, vtpotè contra Deum, & Fidem Catholicam, & honorem Ecclesiæ Sanctæ Dei, ac periculum animarum præsumptas, cassas, nullas, irritas, & inanes, nulliusque firmitatis existere declarauimus, quatenus de facto processerant, & iuramenta super hoc præstita relaxantes, dissoluentes, tunc, & penitus viribus vacuantes, sicut in eodem processu solemniter habito, & ianuis Ecclesiæ Auenioneñ affixo, seu appenso, vt ad eiusdem Petri, & aliorum quos tangit, seu quorum interest, deduceretur notitiam

 plenius

plenius continetur ſanè licet proceſſus huiuſmodi ſic ſolemniter habitus, & in loco publico, vt præfertur, affixus, & ex ſuperabũdanti nihilominus in diuerſis Mundi partibus de mandato noſtro extiterit, vt nullus prætextu ignorantiæ velamen excuſationis valeret aſſumere, publicatus, alioqui tamen, ſicut fide digna licet infeſta relatio ad noſtri perduxit Apoſtolatus auditum, eundem Petrũ hæreſiarcham, & ſchiſmaticum receptare, occultare, ac defendere, ſibique fauere, in ſuarum animarum periculum, ac vniuerſalis Eccleſiæ graue ſcandalum præſumũt, & præſumpſerunt hactenus pœnas prædictas, & ſententias deducentes damnabiliter in contemptum. Nos autem hæc, quæ vtique in diuinæ Maieſtatis contumeliam, ac Eccleſiæ Sanctę Dei, cũctorumque Fidelium periculum, & iactura redundare noſcuntur, diſſimulare ſalua conſcientia non valentes, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus vos, duo, vel alter veſtrum per vos, vel alium, ſeu alios in Piſana, & alijs Ciuitatibus, & Locis, de quibus expedire videritis, omnes, & ſingulos Clericos, & Laicos, cuiuſcumq. præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut ſtatus exiſtant, necnon Communitates, & Vniuerſitates Ciuitatum, Caſtrorum, Villarum, & aliorum quorumcumque locorum ſub excommunicationis in perſonas ſingulares, & Interdicti in Communitates, Vniuerſitates, Caſtra, Villas, & loca prædicta, nec non priuationis omnium priuilegiorum Apoſtolicorum, & Imperialium, ac feudorum, bonorum, & Officiorum quorumcumque quæ à Romana, vel quibuſuis alijs Eccleſijs, aut Imperio obtinent; & nihilominus Prælationum, Dignitatum, perſo-

ſonatuum, Beneficiorum, & Officiorum Eccleſiaſticorũ, cum cura, vel ſine cura, Prælatorum, Perſonarum Eccleſiaſticarum, ac inhabilitatis ad ea, vel alia in poſterum obtineñ pœnis, & ſententijs moneatis ex parte noſtra, & eis mandetis expreſsè, vt ille, vel illi, penes quem, vel quos, aut in cuius, ſeu quorũ eſt poteſtate Petrus prædictus, eũ infra octo dierum ſpatium à tempore, quo monitio, & mandatum huiuſmodi ad eorum notitiam peruenerint, vel per eos extiterit, quominus peruenire potuerint, numerandum, Vobis, ſeu tibi Fili electe, vna cum prædictorum Collegarum tuorum altero, vel ſi caſu aliquo ipſi, vel alter eorum tecum intereſſe non poſſent, aut nollent, in tuto loco, vnde nobis, vel mandato noſtro reſtitui valeat, ſtudeant realiter aſſignare. Quodque nullus eidem Petro det, præſtet, aut miniſtret, ſeu dari, præſtari, vel miniſtrari faciat, procuret, ſeu quantum in eo erit, permittat occaſionem, materiam, licentiam, libertatem, fauorem, ſeu facultatem per ſe, vel alium, ſeu alios directè, vel indirectè, ſub quouis colore quæſito fugiendi, vel occultandi, aut aliàs quominus ad manus noſtras, & Apoſtolicæ Sedis, aut veſtras, vel tuas Electe præfate cum altero prædictorum Collegarum tuorum, ſeu alterius per quem Nobis, & Sedi aſſignetur prædictæ abſque dilationibus, & ſubterfugijs malitioſis peruenire valeat quomodolibet euadendi. Eos autem, qui monitionibus, & mandatis huiuſmodi neglexerint, vel contempſerint effectualiter obedire, perſonas ſingulares, videlicet quaſcumque Eccleſiaſticas, & Sæculares, cuiuſcumque conditionis, Ordinis, Dignitatis, aut ſtatus exiſtant, etiamſi Patriarchali, Pontificali, Imperiali, vel Regali, aut quauis

alia dignitate præemineant, excommunicationis; Vniuersitates verò, Cõmunitates, Ciuitates, Castra, Villas, & loca Interdicti, ac omnes, & singulos prædictos priuationis, & inhabilitationis, prout statum concernunt cuiuslibet, nec non & alias pœnas, & sententias spirituales, & temporales in eodem processu contentas aduersus receptatores, defensores, & consiliatores eiusdem Petri, vt eidem adhærentes promulgatas, & inflictas incurrere volumus ipso facto, a quibus quidem pœnis, & sententijs nullum ab alio, quam a Romano Pontifice, posse absolui, vel liberari volumus, nisi ab eadem excommunications sententia dumtaxat in mortis articulo, sicut est a iure prouisum. Non obstantibus exemptionibus, & quibuscumque alijs priuilegijs, indulgentijs, & litteris Apostolicis quibuscumque personis, ordinibus, seu locis, sub quacumque forma, vel expressione verborum concessis, aut consuetudinibus, vel statutis contrarijs, siue cõfœderationibus, colligationibus, pactionibus, conuẽtionibus per quemcumque, seu quoscumque cum eodem Petro, vel eius complicibus, sequacibus, aut fautoribus, vel alijs quibuscumque, sub quacumque forma, vel expressione verborum initis, factis, seu contractis, etiam si iuramentorum præstatione, pœnarum adiectione, vel alia quacũque firmitate forsitan vallatæ fuissent, quas vtpote contra Deum, ac eius Ecclesiam, Fideique Catholicæ vnitatem in summi Regis offensam, & detrimentum Fidei orthodoxæ pręsumptas, nullas, cassas, & irritas nunciamus, ipsasque quatenus de facto processerant, annullamus, cassamus, & irritamus, & iuribus penitus vacuamus, pœnas, & iuramenta huiusmodi de-

potestatis

potestatis plenitudine nihilominus relaxantes. Cœterum volumus, quod processus vestros super prædictis, & ea tangeñ etiam per publici propositionem edicti affigendi tam in locis publicis facere, si quando, & quoties expedire videritis, quacumque Constitutione non obstante contraria, valeatis. Dat. Kalendis Martij anno quartodecimo.

CREATIO.
Anticardinalium.

Romæ die prima Maii Anno 1327.

IACOBVS ALBERTI de Prato, olim Episcopus Castellanus, & quem Ioannes XXII. Episcopatu amouerat, transfertur ad Ecelesiam Ostiensem, & Vellerrensem: creatus est postea administrator Ecclesiæ Montis regalis die 18. Maij 1327. abijt in Germaniam, in qua se Petri Pseudopontificis, & Sedis Apostolicæ Legatum inscribebat. *Ex Bullis Ioannis 22. & Petri de Corbario.* Hunc Ciacconus vocat Iacobum Martini presbyterũ Cardinalem nullo apposito titulo.

FRANCISCVS Episcopus Albanus, cui commendauit Monasterium Abbatiæ Pomposianæ Ordinis Sancti Benedicti Ferrarieñ diœces. hic paulo post creationem decessit viuente eodem Nicolao. *Ex Bullis Petri de Corbario.* Obijt Romæ inter mensem Iunij; & Septembris 1327. Caccono Franciscus fuit ignotus.

FR. NICOLAVS de Fabiano Prouincialis Ordinis Eremi-

tarum

tarum Sancti Augustini, & Inquisitor hæreticæ prauitatis Tit. Sancti Eusebij presbyter, & post obitum præfati Francisci Episcopus Albanus, huic Petrus de Corbario commendauit Episcopatũ Camerinensem, & omnes Ecclesias in districtu Communis Fabriani existentes, deinde creatus est Legatus a latere in Alemaniam inferiorem, & superiorem, ac Partes circũiacentes, in Prouinciam Lombardiæ superioris, & inferioris, Ferrariam, Marchiam Triuisinam, Massam Trabariam, Sanctam Agatham, Vrbinum, Montemferetrum, totamque Marchiam Anconitanam, vt in Bulla die 3. Octobris 1327. Abijt hic Viterbium, & Pisas cum Pseudopontifice. Veniam postmodum petijt, & obtinuit a Ioanne 22. qui mandauit Matthęo SS. Io. & Pauli Presbytero Cardinali anno 1333. vt eũ absolueret imposita pœnitentia salutari.

PETRVS Sancti Petri ad Vincula presbyter, cui concessit administrationem Monasterij Sãcti Martini in Montibus Viterbieñ diœc. & Hospitalis noui Sanctæ Claræ de Pisis die 29. Maij 1327. & fortè est Petrus Oringus cuius meminit Ioannes Villanus in Chronico lib. 10. cap. 75.

FR. BONIFATIVS ex Ordine Prædicatorum, hic titulo carens, creatur administrator Episcopatus Cyronensis Metropolis Cretensis, ac omnium locorum subiectorum die 17. Maij 1327. eidemque conceditur regimen, & administratio Ordinis Fratrum Prædicatorũ die 18. Maij eiusdem anni.

FR. PAVLVS de Viterbio, ex Ordine Fratrum Minorum, qui secutus est Petrum de Corbario Pisas, a qua expulsus

pulsus Cornetum transijt, nõnulla bona Matthæo Bonifacij de Vitellensibus custodienda tradidit, quæ Ioannes 22. Rectori Patrimonij consignari mandauit cum Paulus in Alemaniam aufugisset.

IOANNES ARLOTTVS ex Canonico Sancti Petri Diaconus in carcere Tulliano; vocatur ab eodem Petro de Corbario vir discretione præcipuus, virtutibus insignitus, ac probitatibus alijs circumspectus, dum creatur administrator Ecclesiæ Sancti Gregorij de Podio supra Castrum sancti Gemini Tudertiñ Diœcesis anno primo scilicet 1327.

IOANNES FILIVS Matthæi de Vicecomitibus Mediolaneñ Ecclesię ordinarius appellatus, titulum Cardinalatus, Capellum, & legationis officium in Lombardia recepit. Omnia dimisit Auenione per Procuratorem die 15. Septembris 1329. coram Ioanne 22. & ipse renuntiationem ratam habuit die 3. Iunij 1331. *vt in publicis instrumentis*. Ciacconus duos agnoscit Ioannes de Vicecomitibus vti anticardinales creatos à Petro de Corbario, vnumque ex eis Episcopum Nouariensem, fuisse etiam Episcopum Ostiensem, & Veliternũ; quem tamen Episcopatum Iacobus de Prato obtinebat: vnde id hauserit, & vnde motus fuerit ad asserendum duos Ioannes de Vicecomitibus fuisse creatos Anticardinales à Petro de Corbario, incertum est.

Hæc desumpta sunt ex Instrumentis, & Bullis Ioaunis 22. & Petri de Corbario. Vidẽdum est breuiter, quid de Anticardinalibus creatis ab eodem Petro cæteri referant authores.

Ioannes Villanus in Chronica Florentina, lib. 10. cap. 75.

asserit

asserit a Petro creatos fuisse die 15. Maij 1327. septem Cardinales, qui consenserunt, videlicet.

1 Episcopum Venetianum, qui fuerat depositus.

2 Abbatem Sancti Ambrosij de Mediolano, qui pariter fuerat depositus.

3 Abbatem de Alamania, qui legit sententiam contra Ioannem XXII.

4 Fratrem Nicolaum de Fabriano Eremitanum.

5 Petrum Oringhum Romanum.

6 Ioannem Arlottum Romanum.

7 Archiepiscopum, che fù de Modena, & subdit alios Romanos fuisse electos, qui dignitatem recusarunt.

Ciacconus octo enumerat Cardinales, ex authoritate præfati Ioannis Villani, qui septem solummodo refert.

In primo, qui est Episcopus Venetiarum, conueniunt, & hic vocabatur Iacobus.

Pro secundo Ciacconus rèfert Ioannem Vicecomitem, de quo dictum est supra.

Pro tertio, nominat Ermannum, quod diuinare est.

In quarto, quinto, sexto, & septimo, conueniunt.

Insuper Ciacconus præfatum Ioannem de Vicecomitibus Episcopum Ostiensem, creatum asserit Pisis, die 19. Ianuarij 1328. Modernus author in Historia Mediolanensi dignitatem pecunia partam affirmat. Vtcumque sit, satis est, illum creatum fuisse Cardinalē, an autem id Romæ, vel Pisis acciderit, incertum.

IN NOMINE DOMINI AMEN.



VNCTIS, & ſingulis pateat euidenter, quod Anno à Natiuitate Domini Millesimo tricenteſimo trenteſimo, Indictione decimatertia, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri Domini Ioannis, digna Dei Prouidentia Papæ XXII. Anno Decimoquinto, die ſexta Menſis Septembris, Conſtitutus perſonaliter coram ipſo Domino Noſtro Papa, in priuato Conſiſtorio, præſentibus, & aſſiſtentibus eius Reuerendis in Chriſto Patribus DD. Cardinalibus eiuſdẽ Sacri Collegij, necnon alijs teſtibus, & nobis Clericis Cameræ ſuæ, publicis Tabellionibus infraſcriptis: Frater Petrus de Corbario, Ordinis Fratrum Minorum, ex ſua certa ſcientia gratis, & ſpontanea voluntate, ac Motu ſuo proprio liberè facta, &. exhibita reuerentia, humili, & deuota, ſæpius genibus flexis, eiuſdem Domini Noſtri Papę, ac DD. Cardinalibus in eodem Conſiſtorio præſentibus teſtibus DD. Gasberlo Arelatenſe, Bertrando Ebredunenſe Archiepiſcopis, Bernardo Stefani Electo Regeñ, Bindo Lemiardo, Manuele D. Papæ Notarijs, Gaufrido Caualliceñ, Petro Carcaſſorieñ, Ildebrandino Paduañ. Epiſcopis, Helione Magiſtro Maiore Hoſpitalis Hieroſolymitani, Guidone Dalphino Vinneñ, Ioanne Comite Foreñ, Gerardo de Lalo, & Bernardo Grauerij Cappellanis Apoſtolicis, in effectu propoſuit, & legit per ordinẽ, ſicut denotantur inferius omnia, & ſingula, quæ ſequuntur.

Pater Sanctissime, sicut nostra tenet memoria, nec excidit à mea, die 25. Mensis Augusti, proximè præteriti. Ego Frater Petrus de Corbario, Ordinis Fratrum Minorum, in Vestri Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri Domini Ioannis superna prouidente clementia Sacrosanctæ Romanæ, & Venerabilis Ecclesiæ Summi Pontificis veri, & vnici Vicarij Iesu Christi, Sacriq. Collegij vestri RR. in Christo Patrum Dominorum Cardinalium præsentia, necnon præsente Fidelium, tàm Prælatorum, & Religiosorum, quàm aliorum Clericorum, & Sæcularium multitudine copiosa in Consistorio publico, quantum ad sententiam, & effectum recognoui, & confessus fui, reprobaui, anathematizaui, refutaui, & renui, & omnes, & singulos errores, & hæreses, in quibus incideram hactenus ex assumptione damnati, & hæretici, ac schismatici status Antipapatus per me erroneè, & iniquè dudum assumpti ab hæretico, & schismatico Ludouico de Bauaria, & nonnullis fautoribus suis eius complicibus in hac parte schismaticis, & hæreticis condemnatis, necnon ex damnabilibus fautorijs, & adhæsionibus ipsorum, & plurium aliorum hæreticorum, & specialiter Ludouici prædicti, & Michaelis de Cesena, olim Generalis Ministri Ordinis antedicti, pessimorum hæreticorum, & schismaticorum reprobatorum per Ecclesiam sanctam Dei, multorumque sequacium, complicium, & fautorum suorum, quibus in eorum factis peruersis, ac falsis opinionibus, & damnatis faui sæpius damnabiliter, & adhæsi, illosque, ac quoscunque alios errores, & hæreses abiuraui; iurando ad Sancta Dei Euangelia mentaliter, & corporaliter, per me facta præmissa omnia, & singula

gula inuiolabiliter obſeruare, ac mandatis Sanctę Matris Eccleſiæ, & Apoſtolicis per omnia obedire ſanè, cum tunc fatigatus ex labore, debilitatus in vigore, anguſtiatus in dolore, & confuſus ex robore, confractuſque ex itinere, ac timore, impeditus in clamore, extinctus in deuotione, mortuus tandem in amore; eo quod dilexi dudum malitiam ſuper benignitatem, & iniquitatē magis quam loqui æquitatem, iuſto Dei Iudicio, obmutuerim euidenter, & ſic, vt volui, non potuerim omnia exprimere ſupradicta, nec Vos etiam forſan, Beatiſſime Pater, vna cum dicto Sacro veſtro Collegio Dominorum Cardinalium prædictorum ea plenè propter tumultum aſſiſtentium, & dicta impedimenta mea, intelligere potuiſtis; ideò latius in præſenti priuato Conſiſtorio reſumptis cōfortatiuis viribus, poſtquam de benignitate, & humilitate clementiæ Sanctitatis Veſtræ apparuit, quoniam non ex operibus iuſtitiæ, quæ nunquam feci actualiter, ſed ſecundum magnam Dei, & veſtram miſericordiam, me ſaluaſtis, & aperuiſtis omnia noſtra ſcelera, & peccata, laborem meum oppreſſiuum, ſedendo pacificè, & vigorē perditum mihi reſtituendo integrè, & dolorem afflictiuum dulcificando conſolatiuè, roboremque confuſiuū laudabiliter remouendo, ac timorem meum confortando viriliter, & clamorem meum raucum ſanando celeriter, extinctamque deuotionem meam ſuauiter inflammando, & amorem meum mortuum viuificando cum confidentia ſecuritatis pacificè, & benignè, prædictos errores, & hæreſes, ac omnia, & ſingula ſcelera, & delicta mea iniquiſſima, & nefanda proponere confidi, publicare, & legere volo in ſcriptis, vt certius pateant vniuerſis:

Vos, Beatissime Pater, vna cum dictis Dominis Cardinalibus possitis ea intellectu suscipere pleniori. Quare huiusmodi hæreses, & errores, ac scelera, & delicta mea coram Vobis, & dictis Dominis Cardinalibus, ac testibus alijs, & Clericis Cameræ Apostolicæ, publicis Tabellionibus infrascriptis, ad laudem, & gloriam Altissimi Dei Patris, Beatissimæ, semperque Virginis Mariæ, Beatorum Angelorum, & Sanctorum omnium, & vestri Sanctissimi Patris præsentis veri, & vnici in terris Vicarij Iesu Christi pro salute, & pace perfecta totius Populi Christiani propono, confiteor, recognosco, publico, & lego per ordinem, vt inferius describuntur.

IN NOMINE DEI PATRIS OMNIPOTENTIS, AC FILII, ET SPIRITVS SANCTI. Amen.

Quoniam iuxta Sapientis doctrinam occultāti scelera sua denegatur directio, purè autem confitenti, & ea penitus deferenti est misericordia repromissa. Idcirco ego Frater Petrus de Corbario, Ordinis Fratrum Minorum minimissimus, & sceleratissimus peccator, hoc considerantter attendēs, nolens vlterius cum impijs commisceri, sed cupiens toto corde in viam veritatis, quam inique deserui, dirigi, & misericordiam, & gratiam Iesu Christi, & vestri Beatissimi in Christo Patris, ac Domini Nostri Domini Ioannis, superna prouidente clementia Summi Pontificis veri, & vnici eius in terris Vicarij, ac Ecclesiæ Sacrosanctæ Catholicæ, quibus meis iniquissimis, & nefandis me priuari sceleribus valeam promptius, & efficacius obtinere, quamquam nuper Pisis existens coram Patribus Reuerendis Dominis Simone Archiepiscopo Pisa-

no, & Guillelmo Lucano Episcopo, ac discreto viro Magistro Raynaldo Stephani Clerico Papalis Cameræ, & Apostolico, Nuncio præsentibus quam multis Prælatis alijs Religiosis, & Nobilibus, ac popularibus Ciuitatis prædictæ, errores meos, & scelera spontaneè, cùm ingenti cordis amaritudine confessus fuerim, & DD. Archiepiscopis, & Episcopo ad hoc per Vos, Pater Sanctissime, deputatis, supplicauerim humiliter, & deuote, vt mihi parato præfatos errores, & quoscunque alios abiurare, ac mandatis stare vestris Apostolicis, & insuper mihi recognoscenti; quod ea, quæ vt Papa, imò verius Antipapa, tàm circa personam hæretici Bauari, quàm circa Creationē, quam de facto præsumpsi Cardinalium, & aliorum Officialium, quos veri Summi Pontifices soliti sunt habere, quam circa dispositionem, & ordinationem Patrimonij Beati Petri Apostoli, necnon, & circa priuationem nonnullorum Prælatorum à suis Prælationibus, & aliorum Clericorum à suis Dignitatibus, & beneficijs alijs Ecclesiasticis quocumque nomine censeantur, & prouisionem attentatam de facto de præmissis Prælaturis, Dignitatibus, & beneficijs alijs Ecclesiasticis quibuscunque, nec non, & quæcunque alia, quæ, vt Papa quocunque modo præsumpseram, seu feceram, nulla præsumpta, ac temeraria fuisse, & esse, & ab omni effectu iuris vacua, & nullius penitus existere firmitatis, velut attentata ab illo, cui nullum ius talia facere competebat, & illi, in quorum personas illa attentata fuerint cum essent schismatici, & hæretici, seu hæreticorum fautores notorij, essent penitus nō capaces, necnon, & ea quatenus de facto processerant quantum erat mihi possibile reuocanti, & nulla fore, &

inania

inania declaranti absolutionis mihi impenderent beneficium ab omnibus sententijs iuris, & hominis, quas ob præmissa incurreram, vel aliquid præmissorum, meque incorporarent, & restituerent Sacrosanctæ Ecclesiæ Catholicæ vnitati, quod vtique præfati Archiepiscopus, & Episcopus authoritate vestra Apostolica, ipsis per litteras vestras patentes Apostolicas in hac parte concessas recognitionibus, & reuocationibus supradictis receptis, ac iuramento de stando mandatis vestris Apostolicis promptè, & liberaliter exequi curauerint, hoc adiecto, quod si ad pristinos errores, seu actus schismaticos sceleratos redirem, in easdem pœnas, & sententias reincidam ipsofacto; ac nihilominus illa nuper in diuersis Ciuitatibus, Prouinciæ Prouiniæ confessus fuerim, & abiurauerim, & nulla fore per me attentata recognouerim, & ea quatenus de facto processerant, quantum poteram, & ad me pertinere poterat, reuocauerim, & declarauerim esse nulla. Nihilominus tamen ad fortius abolendas maculas hæresum, & infamiæ, quas contraxi, & incurri ex præmissis, & pluribus alijs damnabilibus, fautorijs, adhęsionibus, & consilijs per me dudum exhibitis hæretico, & schismatico Ludouico de Bauaria principali status mei damnati huiusmodi patratori, ac eius sequacibus, fautoribus, & complicibus, & specialiter hæretico, & schismatico Michaeli de Cæsena, olim Ordinis Fratrum Minorum Generali Ministro de hęresibus, & schismate, ac pluribus hæreticorum fautorijs, & adhæsionibus per Vos, præfate Sanctissime Pater, legitime condemnato; adhuc tamen errores meos, vt scelera in præsentia Vestri, Sacrique Vestri Collegij Dominorum Cardinalium constitutus intendo,

& volo

& volo recognoſcere, & abiurare, ac alia facere, quæ Veſtra Sanctitas duxerit ordinanda.

In primis, itaque confiteor, & cum ingenti amaritudine animi recognoſco, quod cum ſeductor ille ſchiſmaticus, & hæreticus manifeſtus Ludouicus de Bauaria, dudum iure, ſi quod ſibi quæſitum fuerat ex electione diſcordi de ipſo in Regem Romanorum celebrata, iuſte priuatus fuiſſet per Sedem Apoſtolicam, & eandem Sanctitatem Veſtram, ac vt hæreticus, & fautor hęreticorum; notorius de multis hæreſibus, & fautorijs hæreticorum, ac ſchiſmatibus condemnatus ad Vrbem Romanam imbutus diabolico ſpiritu perueniſſet, & Religioſus vir Frater Ioannes de Meliano Miniſter Romanæ Prouinciæ dicti Ordinis Fratrum Minorum, ac Reuerendus in Chriſto Pater Dominus Ioannes Dei gratia Sancti Theodori Diaconus Cardinalis Sedis Apoſtolicę, & eiuſdem Veſtræ Sanctitatis Legatus pro maiori obſeruatione interdicti, cui tunc erat per Vos, Sanctiſſime Pater, ſuppoſita Vrbs prædicta, eiuſdem Ludouici aduentu percepto mihi, et alijs Fratribus in eadem Vrbe morantibus ſub virtute obedientiæ, et excommunicationis pœnis, quas non parentes ipſofacto incurrerent publicè iniunxiſſet, vt dictam Vrbem omnes, et ſinguli exiremus. Ego tamen infelix peccator præceptis huiuſmodi non obſtantibus, licet omnes alij Fratres paucis exceptis eidem Legato, et Miniſtro promptius obedirent, in eadem Vrbe, præſente dicto peſſimo hæretico, et ſchiſmatico Ludouico, et aſſiſtentibus ei pluribus alijs ſchiſmaticis, et hæreticis condemnatis, et reprobatis per Sanctitatem Veſtram, et Eccleſiam Sanctam Dei, pertinaciter remanere præſumpſi,

et in

et in ea, licet esset iustè, et sanctè per vos Ecclesiastico Interdicto supposita, celebraui Diuina sæpius, imo quantũ in me fuit, verius prophanaui: deinde cum idem perfidus Ludouicus datus in sensum reprobum, se de facto fecisset Imperatorem à dictis Romanis perfidis coronari, et contra Vos, Beatissime Pater, diabolicam, et iniquissimã depositionis, imo verius abusionis promulgasset Sententiam, et processus diuersos temerarios falsos nimium, et iniustos; meque ad quorumdam perfidorum principalium Romanorum Clericorum, et Laycorum instantiam eius sequacium vna cum certis de Clero, et populo perfidis eius complicibus, et fautoribus ad hoc secum vocatis in Papam, et summum Pontificem, imo verius Antipapam damnatum, et pestiferum elegisset; ego miser inductus, imò seductus suis, et multorum, tàm Clericorũ, quàm Laycorum eius fautorum, et sequacium dictæ Vrbis precibus importunis, et perniciosis instantijs, ac infestis, falso, et erroneè asserentium, quod Papam Imperator deponere poterat, et loco depositi, alium ordinare, et quod per consequens eidem hæretico, et schismatico Ludouico, qui tunc infictum, et falsum Imperatorem denuo se Coronari de facto fecerat, et Vos Pater Beatissime abusiuè deposuerat, hoc licebat, mea superbissima damnatione, more Luciferi, ambitioneque damnabili, nihilominus excœcatus huiusmodi clamationi tàm nefandæ, quàm reprobæ, imò nulli malitiosè consensum meum temerarium, et clarissimum excœcatum, sicut præmittitur, omni pœna dignissimum non erubui adhibere, et subsequenter consecrari, imò execrari ab hæretico, et schismatico Iacobo dudum Episcopo Castellañ excom-
muni-

municato, & deposito, & Coronari à dicto hæretico Ludouico de Bauaria me permisi, licet ad eum, etiam si verus Imperator existeret, sicut re vera non erat, nec est; sed hæreticus manifestus, & reprobus. Egoque verus essem Papa, sicut in veritate non eram, sed Antipapa potius schismaticus, hæreticus, & iniquus, nequaquam talis Coronatio pertineret; Item quod Cardinales, imò verius Anticardinales, & omnes Officiales, quos verius Papa est habere solitus ordinare, de facto præsumpsi, Bullamque more Papæ, licet essem reprobus, & damnatus, fieri feci huiusmodi; eaque falsò vsus fui temerè, & iniquè, & vt statum meum peruersissimum, & Ludouici prædicti damnati, ac falsas opiniones hæretici, & schismatici Michaelis de Cæsena, dudum Ministri Generalis, Ordinis antedicti Fratrum Minorum; scilicet, quod Christus, & eius Apostoli in his, quæ habuisse leguntur, non habuerint nisi tantum vsum facti simplicem, possem fortius, ac promptius stabilire, Dei timore postposito, extendens ad omnia illicita manus meas, processus, & depositionis sententiam Ludouici manifesti prædicti hæretici, & de pluribus hæresibus condemnati, contra Vos, Sanctissime Pater, habitam, & etiam fulminatam, supplens omnem defectum, si quis esset in ipsis, ex certa scientia, & de plenitudine potestatis, non solum illos confirmare, & mei scripti communire patrocinio non erubui, sed etiam de nouo Sententiare, Prædicare, Pronunciare, Declarare, & prædicta publicè omnia, & singula in dictis processibus promulgata præsumpsi: in quibus, quidem processibus, Ludouicus prædictus pronunciabat, & declarabat, fore hæreticum, & Scripturæ sacræ contrarium dicere, quod

H Chri-

Chriſtus,& Apoſtoli,in his,quæ habuiſſe leguntur,habue-
rint aliud, quam ſimplicem vſum facti, ex qua quidem
pronunciatione euidenter concluditur,Ipſum,&Me etiã
ex confirmatione, & pronunciatione, & prædicatione
prædictis in damnatam hæreſim per Conſtitutionem ve-
ſtram Apoſtolicam,de Fratrum veſtrorum promulgatã
conſilio incidiſſe; & nihilominus ad diuerſos Reges,Prin-
cipes meas Litteras deſtinaui, per quas ad eorum notitiã
deducebam;quomodo Vos,Pater Beatiſſime,cui multa
falſa, hæretica,& erronea in eiſdem Litteris imponebam,
ſuggerentibus dictis hæreticis, ſceleratis Ludouico, Mi-
chaele,ac iuxta votum ſuum ordinantibus per eundem
Ludouicum, ac per me eratis depoſitus, & ſententialiter
condemnatus eoſdem Reges, & Principes exhortando
nihilominus,& rogando,quod Vobis,Sanctiſſime Pater,
tamquam Papæ non parerent in aliquo, nec fauores ali-
quos exhiberent, ſed contra Vos potius mihi, & dicto
Ludouico præberent auxilium, conſilium, & fauorem,
nec his contentus,tàm in Vrbe, quàm in pluribus Ciui-
tatibus,& Locis alijs Clericos Sæculares,& Regulares cõ-
puli,vt non obſtante interdicto,cui per Vos, Beatiſſime
Pater, erant ſuppoſita loca ipſa, in eiſdem celebrarent,
imò verius quantum erat in me, prophanarent Diuina:
Tallias quoque Eccleſijs impoſui,tàm in Vrbe,quàm ali-
bi,pro quibus Calicibus, ornamentis, & nonnullis rebus
alijs ipſas Eccleſias ſpoliaui: Fideles inſuper Prælatos non
nullos,& alios Clericos in Dignitatibus,& Beneficijs alijs
Eccleſiaſticis in illis præficiendo, vel hęreticos, vel ſchiſ-
maticos,vel eorum fautores,& plerumque, non abſque
ſimoniaca prauitate, quibus etiam illis ſcilicet, quorum

huiuſmodi prælatio requirebat de facto, cum de iure non poſſem per me, vel alium munus conſecrationis, imò verius execrationis impendi, contra Fratres quoque Minores, non parentes Michaeli prædicto, tamquam Generali Miniſtro, qui tamen depoſitus erat iuſtè, & condemnatus de hæreſi, & hæreticus, & ſchiſmaticus declaratus, & alius per Generale Capitulum Ordinis Minorum concorditer in Generalem aſſumptus, & contra ſeruantes interdicta per Vos, Sanctiſſime Pater, vel Legatos, ſeu Officiales veſtros aliàs promulgata vtroque ſpirituali videlicet, & temporali gladio procedere non expaui, eidem Michaeli, & ſuis ſequacibus hæreticis, & ſchiſmaticis iniquè impertiendo, iniuſtè, ac temerè auxilium, & fauorē: Indulgentias inſuper, & Diſpenſationes Sedi reſeruatas Apoſtolicæ concedendo de facto, & etiam faciendo; nonnullis quoque Pontificibus commiſi, vt Sacros Ordines celebrarent, in quibus Ordinibus plures, vt credo, ad Sacros Ordines promouerunt temere, cum eis virtute pręfatæ licentiæ non liceret; de Patrimonio quoque Sancti Petri in nonnullis locis ad tempus, & interdum in perpetuum diſponere non expaui. Hęc omnia, & plura alia cō tra Deum, Sanctamque Catholicam Eccleſiam, ac Vos, Beatiſſime Pater, verum, & vnicum Ieſu Chriſti Vicariū recognoſco, & confiteor, me de facto iniquè nimium, & temerè perpetraſſe; Quæ omnia, & ſingula recognoſco, & confiteor, nulla fore, ac caſſa, & inania, velut ab illo, vti ea faciendi non competebat ius aliquod, attentata, eaque, quantum ad me ſpectare poteſt, quatenus proceſſere, de facto reuoco, & nulla fore, & fuiſſe pronuncio, & declaro: confiteor inſuper, & ore, ac omnino recognoſco, me cre-

dere,& tenere fidem illam, quam Sancta Romaua Ecclesia,ac Vos,Pater Sanctissime, tenetis, prædicatis, atque docetis,& specialiter recognosco, me tenere, & credere; quod ad Imperatorem non pertinet deponere, nec instituere Papam; imò hoc tenere hæreticum reputo, prout per processum contra hæreticos Marsilium de Padua, & Ioannem de Ianduno, per Vos, Beatissime Pater, super hoc,& nonnullis alijs erroribus habitum, quem diligenter studui,continetur. Item fateor,& recognosco hæreticum esse dicere, Christum,& eius Apostolos non habuisse in his, quæ eos habuisse Scriptura Sacra testatur, nisi simplicem vsum facti, licet dudum contrarium tenuerim, & hæc tenentibus impenderim indebitè auxilium, & fauorem,& fateor,& recognosco, quod hoc asserentes sunt censendi hęretici manifesti,secundum,quod in Cōstitutionibus vestris,Pater Sanctissime,quarum vna incipit, CVM INTER,&c.alia verò, QVIA QVORVMDAM,&c. plenius continetur, & super materia proprij, & communis, ac iuris,& dominij,quod Iesus Christus, & eius Apostoli in rebus temporalibus habuerint, credo,profiteor, & teneo in omnibus, & per omnia firmiter id,quod in dictis Constitutionibus, & responsionibus per Vos factis obiectionibus,quas dictus Michael, eiusque sequaces, contra Constitutiones prædictas fecerant,de quibus sum informatus,plenius continetur,ac omnia,& singula scripta,dicta, & publicata contra Constitutiones, & responsiones prædictas, & tangentia ea per hæreticos, & schismaticos Ludouicum,& Michaelem prædictos,seu quoscunque alios assero, recognosco, & dico, fuisse, & esse nulla,erronea,schismatica, hæretica, atque falsa, eaque alia refuto,

renuo,

renuo,anathematizo, reprobo, & deteſtor. Item, confiteor,& recognoſco in veritate,quod Vos,Sanctiſſime Pater, & D.D. Ioannes Papa XXII. & nullus alius eſtis verus Summus Pontifex, & vnicus in terris Vicarius Ieſu Chriſti, & contrarium, quod tenui; & dicta quorumcumque idem mecum dicentium refuto, anathematizo, renuo, reprobo, & deteſtor. Item, recognoſco, & fateor in veritate,vt ſupra, quod ego malè, falsò, temerè, & erroneè, & iniquè aſſumpſi, & exercui de facto ſtatum Summi Pontificatus, imò verius Antipapatus damnabilem antedictum,& adhæſi,ac faui hæreticis ſupraſcriptis, & pluribus alijs; ideoque ſtatum,adhæſionem, & fautoriam huiuſmodi in omnibus,& per omnia refuto,renuo, anathematizo,reprobo,& deteſtor. Item, recognoſco, & fateor in veritate,quod malè,temerè,& iniquè de facto promoui, & conſecrari feci, ſeu potius execrari nonnullos Prælatos,ſchiſmaticos, & hæreticos, ſeu fautores hęreticorũ, & aliquorum deuotos Catholicos, & Fideles depoſui, & beneficia Eccleſiaſtica pluribus infidelibus,ſchiſmaticis, & rebellibus, ſeu eorum fautoribus contuli;& ſæpius per ſimoniacam prauitatem,quam exercere per me,& dictos hæreticos deſperatos, & alios perfidos non expaui, & cætera, quæ verus Papa gerere conſueuit,malitiosè de facto exercui. Quæ omnia,& ſingula ſcelera,tàm horribilia,& nefanda refuto, renuo, anathematizo, reprobo, & deteſtor. Item fateor, & recognoſco in veritate, quod Anticardinales,& Antiepiſcopos per me,vt prædicitur,promomotos,quos feci conſecrari,imò verius execrari de facto, non reputo, eſſe Cardinales, nec Epiſcopos; imò confiteor,ipſos fuiſſe,& eſſe,ſi non fuerint abſoluti,& reconciliati

liati per Vos, Beatiſſime Pater, ſchiſmaticos, hæreticos, atque nullos, & omnes actus, quos circa ipſos, vel quoſcunque alios, & ſpecialiter circa Ludouicum prædictum, ac eius fautores, complices, & ſequaces, & cui de facto, cum de iure non poſſem dico, quantum in me eſt fore, & fuiſſe de iure tamquam hæreticos, & ſchiſmaticos, inualidos, ac nullius roboris, vel momenti, eosque, vt tales, quatenus proceſſere de facto, in quantum poſſum infringo, irrito, & denuncio, nullos eſſe, ac expreſſe refuto, renuo, anathematizo, reprobo, & deteſtor. Quæ omnia, & ſingula hæretica, & ſchiſmatica ſcelera, & delicta grauiſſima, ac omnes hæreſes ſupraſcriptas, & quaſcumque alias mẽtaliter, & corporaliter ſponte abiuro, petens humiliter à Vobis, Beatiſſime Pater, mihi veniam, & miſericordiam impertiri. Item promitto, & iuro, vt ſupra, quod nunquá præſcripta, nec infraſcripta, ſeu aliqua eorumdem per me retractata, & abiurata tenebo, nec exercebo, nec pro tali ſaltem Papa me habebo, nec quantum in me etiam erit permittam, quoquomodo ab alijs me haberi. Item, promitto, & iuro ad Sancta Dei Euangelia, corporaliter, & mentaliter per me tacta, quod numquam dictis hæreticis, & ſchiſmaticis Ludouico, & Michaeli, nec eorum fautoribus, complicibus, & ſequacibus, aut alijs per Vos, Beatiſſime Pater, & eandem Eccleſiam denotatis, vel denotandis ſcienter, quamdiu in rebellione, & extra deuotionem, & gratiam fuerint Sanctæ Matris Eccleſiæ, atque veſtram adhærebo, nec eis præſtabo auxilium, conſiliũ, vel fauorem, nec cum eis, vel eorum aliquibus Ligam, Coniurationem, Pacta, Conuentiones, ſeu Cõſpirationes faciam, aut contraham quoquomodo. Item, quod cum

hære-

hæreticis,et ſchiſmaticis antedictis,ſeu fautoribus,ſequacibus, et complicibus eorumdem, ſeu cum aliquibus à me promotis,imò verius execratis (vt præmittitur) conuerſationem aliquam non habebo, nec eis præſtabo aliquod conſilium, auxilium,vel fauorem. De quibus omnibus,et ſingulis ſupraſcriptis, ad æternam rei memoriã, pro ſalute mea, et publica peto, quod vnum, et plura, quotquot erunt expedientia, fieri publica inſtrumenta per vos Magiſtrum Guillelmum de Petrilia, et Reuerendum Stephani Cameræ Domini Papæ Clericos, ac Notarios publicos. Quæ quidem omnia,et ſingula per me ſupra aſſertiuè propoſita, et prolata, Iuro per hæc Sancta Dei Euangelia à me tacta, mentaliter,et corporaliter,vera eſſe,ac præſcripta vitanda vitare,et obſeruanda inuiolabiliter obſeruare; Ea verò, quę me aſſerui credere iuro, vt ſupra, me illa credere fore vera. Item omnes errores, et hæreſes ſupradictos, et eorum ſingulos, et ſpecialiter dicere,credere, et tenerè, quod ad Imperatorem pertineat deponere, ac inſtituere Papam. Item, quod Chriſtus, et eius Apoſtoli in his,quæ habuiſſe leguntur, non habuerim, niſi ſimplicem vſum facti, et quoſcumque errores, et hæreſes aliàs abiuro,anathematizo, renuo, reprobo, et refuto. Et inſuper promitto,et iuro, tactis mentaliter, et corporaliter per me Euangelijs Sacroſanctis ſuper omnibus,et ſingulis ſupraſcriptis ſtare mandatis Eccleſiæ Sanctæ Dei, et Veſtris Apoſtolicis, et Fidem tenere,quam ſancta Romana Eccleſia Catholica,et Vos, Pater Beatiſſime,creditis,tenetis,et prædicatis,nec non,et veſtras Conſtitutiones,et Declarationes factas ſuper materia proprij, et communis,ac Iuris, et Dominij, quod Ieſus Chriſtus,

et eius Apoſtoli in rebus temporalibus habuerunt perpetuo, et inuiolabiliter obſeruare, ac ſtare, et parere in omnibus, et per omnia mandatis Sacroſanctæ Romanæ Dei Eccleſiæ, et veſtri præfati Domini Noſtri Papæ, petens humiliter, et deuotè, me per Vos, Pater Sanctiſſime, non attentis meis exceſſibus, et ſceleribus grauibus, ſed ſola Dei miſericordia, cuius eſtis vnicus in terris Vicarius ab omnibus pœnis, et ſententijs, Iuris, et hominis, quas propter præmiſſa, vel eorum ſingula, ſeu aliquod eorumdem miſericorditer abſolui, et vnitati reintegrari, et reincorporari Eccleſię Sanctæ Dei, paratum me offerens omnem pœnam, ſiue pœnitentiam, quas mihi pro prę-miſſis iniungendas, vel imponendas Veſtra Sanctitas duxerit cum omni obedientia ſubſtinere, et etiam adimplere.

Quibus omnibus, et ſingulis ſupraſcriptis à dicto Fratre Petro de Corbario, et ſua certa ſcientia gratis, et ſpontanea voluntate propoſitis, confeſſatis, lectis, recognitis, publicatis, anathematizatis, reprobatis, refutatis, et abiuratis; factiſque per eum promiſſionibus, et iuramentis ſuperius expreſſatis, tandem præfatus Dominus Noſter Summus Pontifex poſt præmiſſa omnia, et ſingula, ac eiuſdem Fratris Petri inſtantis petitiones humiles, et deuotas circa ipſius abſolutionem, et reincorporationem per ipſum à Domino Noſtro Papa ſæpius, et cum inſtantia humiliter poſtulata egit, ſecum more pij Patris, et illius vice, et imitatione præcipuè, cuius eſt dignus, ac vnicus in terris Vicarius, miſericorditer, et benignè, attentè conſiderans, quod ipſum Petrum ad confuſionem huiuſmodi non induxit violentia aliqua,

ſed

ſed timor Dei, ſpontaneaque voluntas, necnon, quod eius contritio vera videtur, tàm ex eo, quod illa Piſis, & ad ipſum Dominum Noſtrum veniendo in multis Ciuitatibus, & Locis Prouinciæ Prouiniæ publicè, & hic etiam iu Curia, tàm in publico Conſiſtorio, quàm priuato, non erubuit confiteri, nec ad ſuam prætermiſit venire præſentiam; voluntarius, & congaudens humiliter, & deuotè, pro gratia, & miſericordia impetrandis; tùm etiam, quod paratum ſe obtulit, atque offert, quęcumque ei præfatus Dominus Noſter iniungenda duxerit, adimplere, & vt partes ſui officij exequatur, eiuſque actibus, prout eſt ſibi poſſibile, conformetur, qui mortem peccatorum non deſiderat, ſed vt conuertantur, & viuant, ad Fratrum ſuorum conſilio abſolutionem, & reincorporationem prædictorum Archiepiſcopi Piſani, & Lucani Epiſcopi ratas habuit; & etiam confirmauit, ipſum Fratrem Petrum, nihilominus abſoluit, & duxit reincorporandum vnitati Eccleſiæ Sanctæ Dei, ſuper Irregularitate, quam contraxit propter præmiſſa, ſeu aliqua præmiſſorum, ſecum miſericorditer diſponendo ordinationem, & declarationem pœnitentiæ dicto Petro pro præmiſſis, & eorum ſingulis, prout quando, & quoties expedire videbitur imponendæ ſibi ſpecialiter, & expreſſè, nihilominus reſeruantes. Actum, & Datum Auenione, Anno, Indictione, Die, Menſe, Loco, & Pontificatu, quibus ſupra. Præſentibus Teſtibus Venerabilibus Patribus Dominis Gisberto Arelatenſe Archiepiſcopo Domini Papæ Camerario, & Bernardo Stephani Electo Regente, ac Nobili Guillelmo de Patilia, & Raydo Stephani, Cameræ Domini Papæ Clericis,

auctoritate Apostolica publicis Notarijs ad hæc vocatis, quibus mandatum fuit per præfatum Dominum Nostrum, vt inde conficeremus vnum, vel plura publica Instrumenta, quibus vero Instrumentis idem Frater Petrus promisit, se subscribere, eaque sui Sigilli munimine roborare.



BENE-

BENEDICTVS XII.

Iacobus Nouelli, aliàs Fornerij, ex Sauarduno Diœcesis Apamearum, Presbyter Cardinalis, Tituli Sanctæ Priscæ, Die 20. Decembris, circa horam septimam, Anno 1334. Auenione Creatur. Die 3. Ianuarij 1345. Coronatur. Die 25. Aprilis circa horam Vesperorum Anno 1342. migrauit ad Dominum Auenione.



BENEDICTVS Episcopus, seruus seruorum Dei. Venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Beneuentano, & Episcopis, ac dilectis Filijs Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Decanis, Archidiaconis, & alijs Ecclesiarum Prælatis exemptis, & non exemptis per Beneuentanam Prouinciam constitutis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Altitudo Cœlestis Consilij supra cuncta tenens in excelsis imperium sic dat esse rebus, & dispensat ineffabili prouidentia munera gratiarum, sic creaturarum conditiones, & status ordinat, ac prout vult, variat, & disponit, quod sensus humanus eius secreta consilij perscrutari nō valens in horum consideratione potius hebetatur, cum sint inuestigabiles viæ Domini, & sapientiæ suæ magnitudinem humani non capiant intellectus, facit enim for-

tem ex debili, balbutientibus eloquium tribuit, & ponit nonnunquam humiles in ſublimi, plenam, & perfectam habens ad ſingula tanquam palma concludens omnia potestatem, ſanè fel. rec. Ioanne Papa xxij. Prędeceſſore noſtro nuper, ſicut Domino placuit, ab hac luce ſubtracto, & ad Cœleſtẽ Patriam ab huius mundi miſeria, ſicut piè credimus, euocato, eiuſque corpore, cum Exequiarum ſolemnitate debita tumulato Ven. Fratres Noſtri Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi S. Romanæ Eccleſiæ Cardinales, de quorum numero tunc eramus profuturi ſubſtitutione Paſtoris conuenientes in vnum ſub deliberatione Conſilij quam tanti negocij qualitas exigebat, habito ſuper electionis futuri Papę celebratione tractatu, licet conſentire potuiſſent in alios maiorum meritorum claritate conſpicuos, & plurium virtutum titulis inſignitos, tandem ad perſonam Noſtram dirigentes vnanimiter vota ſua, Nos ad ſummi Pontificatus apicem diuinę dignationis clementia euocarunt. Nos igitur noſtrarum inſufficientiam virium, & adminiſtrationis tam arduæ ſarcinam, tantique oneris grauitatem intenta conſideratione penſantes intra noſtra præcordia, quid inter tot diuerſas, & varias ſæculi fluctuationes, & pugnas agendum, quidque tenendum, quidue penſandum extiterit, animo duximus trepido reuoluendum: demum verò ſpiritus virtute reſumpta in illo, qui aſſurgit in occurſum timẽtium, & implorantium humiliter nomen ſuum, quique clemẽter in ſemitis ſuis greſſus hominis perficit inter huiuſmodi cogitationum fremitus anchoram ſpei noſtræ fiximus ad ferendum ſub eius fiducia iugum ſeruitutis Apoſtolicæ imbecilles humeros humiliter ſubmittentes, ac ſubſe-

quenter

quenter benedictionis, & coronationis ſolemnia, & cæ-
tera recepimus ſecundum morem eiuſdem Romanæ
Eccleſiæ in perſonis Romanorum Pontificum prædeceſ-
ſorum Noſtrorum hactenus obſeruatum, anxiato, & hu-
miliato ſpiritu Domino ſupplicando, vt ipſe qui nos iu-
gum huiuſmodi ſubire conceſſit, ſic ad ipſum portandũ
debilitatem Noſtram ſuę virtutis robore fulciat, ſicque
illud faciat ſua benignitate portabile, quod ſub eo non
cõtingat nos ex noſtra debilitate deficere, ſed ita ſua om-
nipotentia Nobis, & gregi Dominico vigilantiæ noſtræ
commiſſo potius proficere, quod de talento nobis credi-
to dignã valeamus in extremo Iudicio reddere rationẽ.
Cum autem nos ad tanti molem ponderis leuius, & ſa-
lubrius præferendam, ac præfatam Eccleſiam, quæ pro-
celloſis turbinibus agitari aſſolet, pijs, & deuotis expediat
orationum ſuffragijs adiuuari, Vniuerſitatem Veſtram
rogamus, & obſecramus in Domino Ieſu Chriſto, quate-
nus apud ipſum Sponſum eiuſdem Eccleſię ſuppliciter in
humilitate ſpiritus deuotis precibus inſiſtatis, vt tempe-
ſtuoſa procellarum moleſtia quieſcente Eccleſia ipſa ſub
facilis auræ ſerenitate lætetur, luxque pacis ſibi copioſè
reſplendeat, errorum, & diſſentionum tenebris de medio
fidelium profugatis, ac greſſus noſtros dum in præſentis
Valle miſeriæ peregrinamur in Domino, per ſuorum di.
rigat ſemitas mandatorum, noſtræque debilitatis hume-
ris fortitudinis robur adijciens miſericordi Nobis pieta-
te concedat perfatam Eccleſiam ad ſui Nominis laudẽ,
& gloriam vtiliter gubernare, vt cum Domus Noſtræ hu
ius habitationis terræ figmentum eius Imperio, per quẽ
in præſenti ſæculo iuxta originariæ conditionis curſum
ſolitum

ſolitum ingreſſum habuimus, diſſoluetur, in illa cœleſti Hieruſalem, ad cuius ædificationem, ceu quidem expoliti lapides electorum Curiæ deferuntur, glorioſam non manu factam, ſed æternam dignetur concedere manſionem. Cœterum cũ, ſicut intelleximus, portitores huiusmodi litterarum interdum eſſe conſueuerunt contra intentionem mittentium exactores nunc importunæ petitionis inſtantia, nunc etiam murmurationum ſuſurrijs, ac detractionum, & querelarum comminationibus exigendo, ſcire vos volumus, quod noſtrę intentionis exiſtit, latoreſque præſentium iurare fecimus, quod ad exigendum, vel obtinendum aliquid pręter ea, quæ ad victum, & ob infirmitatis, & alios caſus neceſſaria per alias eis ſub certa forma litteras, quas vobis exhibere mandamus, miniſtrari pręcipimus, talibus inſtantijs murmurationibus, detractionibus, ſeu comminationibus non vtantur, nec recipere oblata præſumant. ideoque vt noſtris in hoc intẽtioni, & beneplacitis occurratis præfatis eorum abuſionibus, cæteriſque ſimilibus ſi forſan eis, quod non eſt veriſimile, vti pręſumerent, contra proprium iuramentum, contemptis omnino vos vltra præmiſſa ipſis noſtro miniſtranda mandato tribuẽdo aliquid non grauetis, cum nõ per extorſiones huiuſmodi, ſed alias retributione congrua intendimus ipſorum laboribus reſpondere.

Datum Auenione v. Idus Ianuarij Anno Primo.

PRIMA CREATIO Cardinalium.

Auenione die 18. Decembris Anno 1338. *Ex libro Obligationum.*

Ciacconus 1337.

GOCIVS de Arimino Patriarcha Constantinopolitanus, Presbyter Tit. Sanctæ Priscæ. Decessit die 10. Iunij 1348. Ciacconus 1344. hic alibi vocatur Goccius de Battaglis.

BERTRANDVS de Deueio Archiepiscopus Ebredunensis Presbyter Tit. Sancti Marci. Obijt Episcopus Sabinus die 21. Octobris 1335.

PETRVS Rogerij ex Ord. Sancti Benedicti Archiepiscopus Rothomagensis, Presbyter, Tit. SS. Nerei, & Achillei, postea Clemens VI.

GVILLELMVS Curte Episcopus Albiensis, Presbyter, Tit. SS. Quatuor Coronatorum. Obijt Episcopus Tusculanus die 12. Iunij 1361.

BERTRANDVS, seu BERNARDVS de Albia, Presbyter, Episcopus Ruthenensis, Tit. Sancti Cyriaci in Thermis. Obijt die 13. Nouembris 1350. Episcopus Portuēsis. ***Ex libro Obligat.*** Ciacconus anno 1344.

GVILLELMVS de Aura, Abbas Monasterij Montis Oliui, Ord. S. Benedicti, Presb. Tit. S. Stephani in Cœlio monte. Obijt die 3. Decembris anno 1353.

CLE-

CLEMENS VI.

Petrus Rogerij, Presbyter Cardinalis, Tituli Sanctorum Nerei, & Achillei, Die 14. Maij anno 1342. Auenione in Summum Pontificem electus, & Die 19. eiusdem mensis, & anni Coronatus; ibidem migrauit ad Dominum.

Die 6. Decembris anno 1352. circa horam tertiæ.



LEMENS Episcopus Seruus seruorum Dei. Carissimo in Christo Filio Filippo Regi Francię Illustri, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

In præcelso Throno Diuini culminis sapientiæ altitudo, sublimitas potentiæ, ac prudentiæ plenitudo consistunt, & qualiter dispositione superna detur esse rebus, mutentur, & varientur creaturarum conditiones, & status, aliàsque gratiarum munera ineffabili prouidentia dispensentur, humani non capiunt intellectus: Supernus namque Códitor in omnipotentia sua mirabilis dixit, & facta sunt, & quæ ipse voluit sunt creata, & perfecta habent tanquam ille, qui cuncta palmo concludit, ad singula potestatem, quandoque facit fortem ex debili, & nonnumquam ponit humiles in sublimi, ac Sacrosanctam Ecclesiam Catholicam, quam sibi charitatis inseparabili dulcedine copulauit, salubriter dirigit, & gubernat. Nuper, siquidem fel. rec. Benedicto Papæ XII. Prædecessore Nostro,

sicut

ſicut Domino placuit ab hac luce ſubtracto, Venerabiles Fratres Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, S.R.E. Cardinales, de quorum numero tunc eramus, pro futuri ſubſtitutione Romani Pontificis conuenientes in vnum, Sancti Spiritus, vt moris eſt, gratia inuocata, quaſi per inſpirationem ipſius in nos, ſicut Diuinæ clementiæ placuit, vota ſua concorditer direxerunt, Nos ad conſcendendam ſpeculã Apoſtolici culminis, & ſubeundum grauiſſimã totius Orbis regiminis ſarcinam eligentes. Verum cum ad tantæ dignitatis apicem obſtuperemus aſſumi, eo, quod impotentiæ noſtræ humeri ad tantum onus non ſufficerent ſubportandum, tandem ſperantes in illo, qui reddit ſuaue iugum ſuum, & onus leue illa portantibus patienter, ad ipſorum Fratrum inſtantiam votis acquieuimus eorumdem, & colla noſtra ſubmiſimus humiliter iugo Apoſtolicæ ſeruitutis, & ſubſequenter benedictionis, & Coronationis Noſtræ ſolemnia, iuxta morem, in perſonis felicis memoriæ Romanorum Pontificum Prædeceſſorum Noſtrorum hactenus obſeruatum ſuſcepimus, ad gratiarum fontem, de cuius accipiunt plenitudine vniuerſi, Paſtoris videlicet æterni clementia in humilitatis ſpiritu recurrentes, vt ipſe non iuxta noſtrorum meritorum exigentiam, ſed ſecundum ſuæ ſuperabundantiam pietatis debilitati noſtræ ſic tribuat roboris fulcimentum, quod ſuſceptum onus ad laudem ſui nominis, Eccleſiæ Vniuerſalis honorem, & ſtatum, ſalutem, & tranquillitatem fidelium ipſo cooperante deferre, ac in populis ſollicitudini noſtræ creditis quorumlibet diſſentionum ex eis amputata materia miniſtrare bonum pacis, ad quæ noſtra ſummè adſpirat intentio, valea-

mus; adijcit quoque in hoc, & alijs ſpei noſtræ ſuffragiũ tui ſpecialiter, & aliorum Catholicorum conſideratio Principum, quos ſperamus ſic ab illo, per quem Reges regnant, & potentes in ſuis regiminibus exercent iuſtitiam, dirigi; quod ipſis per vias rectas nos iuuantibus grex Dominicus curæ noſtræ commiſſus committentis virtute præambula ad æterna gaudia perducatur, & quia, Fili cariſſime, ſicut noſti, inter alios Reges, & Principes, dum nos minor ſtatus haberet ad perſonam, & regnum tuę ſemper geſſimus præcipuæ dilectionis effectum, & erga te, velut ſpeciale ipſius Eccleſiæ Brachium paternæ dilectionis plenitudinem non ſolũ continuare intendimus; ſed augere, tibique, & tuis ſubditis pacis, & proſperitatis commoda indefeſſæ ſollicitudinis ſtudio procurare, ſerenitatem regiam rogamus in Domino, & hortamur, quatenus Deum timens, in cuius manu cor tuum eſt, & in eius arbitrio vita tua, ipſius ſtudeas cuſtodire mandata, iuſtitiam colere, ac diligere in omnibus æquitatem, ſciens, quod ad hoc te hominibus naturæ tuæ participibus prætulit Dominus Deus tuus, & nihilominus in deuotione Sanctæ Eccleſiæ Matris tuæ, ad cuius defenſionem accepiſti principaliter à Domino gladij poteſtatem, necnon exaltationem Catholicæ Fidei, Eccleſiarum defenſionem, ac conſeruationem Eccleſiaſticæ libertatis, tua ſublimitas ſemper creſcat, vt ex hoc tibi augeatur in præſenti gratia, & gloria in futuro, illam de nobis ſpem certam, & fiduciam habiturus, quod tuam, & Regni tui proſperitatem paterno zelantes affectu Regalem magnificentiam opportunis curabimus, quantum cum Deo poterimus, fulcire fauoribus, ac di-

gnis

gnis gratijs, & honoribus præuenire. Datum Auenione Duodecimo Kalendas Iunij. Pontificatus Nostri Anno Primo.

PRIMA CREATIO Cardinalium.

Auenione, Die 20. Septembris Anno 1342.

FR. ELIAS ex Ordine Minorum, Patriarcha Hierosolymitanus, Presbyter, Tit. Sancti Vitalis. Decessit Mense Octobris 1367. *Ex Petro Frizon in Gallia Purpurata*

GVIDO De Bolonia, Archiepiscopus Lugdunensis, Presbyter, Tituli Sanctæ Cæciliæ. Obijt in Ciuitate Illerdensi, Die 25. Nouembris 1373. *Ex Libro Obligationum* Hunc Ciacconus credidit Episcopum Bononiensem, & obijsse anno 1374.

AMERICVS De Castroluci, Episcopus Carnotensis, Presbyter, Tit. Sancti Martini in Montibus. Obijt die Martis 7. Iulij 1349. Hunc Ciacconus vocat Aymericum de Suardia, & obijsse anno 1348.

ANDREAS de Florentia, Episcopus Tornacensis, Presbyter Cardinalis, Tituli Sanctæ Susannæ. Obijt in Perpiniano Diœcesis Elneñ. Die 2. Iunij 1343.

STEPHANVS Alberti Episcopus Claramontanus SS. Ioannis, & Pauli, die 13. Februarij 1352. creatur Episcopus Ostieñ. postea Innocentius VI.

HVGO Rogerij ex Monacho Ordinis Sancti Benedicti,

electus Tutellensis, presbyter Cardinalis, Tit. Sancti Stephani in Damaso. Obijt die 22. Octobris 1363.
ADEMARVS Roberti Papæ Notarius, presbyter Cardinalis, Titul. S. Anastasiæ, decessit Auenione die 1. Decembris 1352. *Ex libro Obligation.* Ciaccon. 1353. Additio anno 1361.
GERARDVS de Domario de Guardia, Ordinis Prædicatorum generalis Minister, presbyter Cardinalis, Titul Sanctæ Sabinæ. Obijt Auenione 27. Septembris 1343 Ciaccon. anno 1345.
BERNARDVS de Turre Papæ Diaconus Cardinalis, Titul. Sancti Eustachij, decessit die 7. Augusti 1361. hunc alij Bertrandum appellant.
GVILLELMVS Iudicis ex sorore Nepos Papæ, Diaconus Cardinalis Sanctę Mariæ in Cosmedin, quem Vrbanus V. in Monteflasconis in Presbyterum ordinauit die 12. Aprilis 1368. decessit die 28. Aprilis anno 1374.

SECVNDA CREATIO

Die 27. Februarii 1334. *Ex Libris diuis. & oblig.* Ciacconus die 29. Maii.

PETRVS Bertrandus Episcopus Attrebaten̄. Titul. Sanctæ Susannæ, presbyter Cardinalis. Obijt Episcopus Ostien̄. die 13. Iulij 1361. *Ex libro Obligationum.*
NICOLAVS de Bessia ex sorore Nepos Papæ, electus Lemouicensis Diac. Card. Tit. S. Mariæ in Via lata, decessit Romæ die 5. Nouembris 1369.

TER-

TERTIA CREATIO

Die 29. Maii 1348.

PETRVS Rogerij Sedis Apostolicæ Notarius, ex fratre Nepos, Diac. Card. Titul. Sanctæ Mariæ Nouæ, postea Gregorius XI.

QVARTA CREATIO.

Die 17. Decembris 1350.

AEGIDIVS Aluari Albernotius Archiepiscopus Toletanus, Presbyter Cardinalis, Titul. Sancti Clementis Decessit Viterbij, die 24. Augusti 1367.

Fr. PASTOR de Sarestudio, ex Ordine Minorum, Archiepiscopus Ebredunen̄. Presbyter Cardinalis, Titul. SS. Marcellini, & Petri. Obijt die 11. Octobris 1356. *Ex Libro Obligationum.* Ciacconus Sanctorum Syluestri, & Martini.

RAIMVNDVS de Canhiliaco ex Canonico Ordinis S. Augustini, Archiepiscopus Tolosanus, presbyter Cardinalis Tit. S. Crucis in Hierusalem. Decessit Episcopus Prænestinus 20. Iunij 1373.

GVILLELMVS de Agrifolio ex Monacho Sancti Benedicti electus Cæsaraugustanus, presbyter Cardinalis, Titul. Sanctæ Mariæ in Transtyberim. Obijt Episcopus Sabinensis, die 4. Octobris 1369.

NICOLAVS Capocij Episcopus Vrgellensis, presbyter Cardinalis, Tit. Sancti Vitalis. Decessit Monteflasconi 26. Iulii 1368.

PICTA-

PICTAVINVS de Montesquino Episcopus Albieñ. Presbyter Cardinalis, Titul. Basilicæ XII. Apostolorum. Hunc Frizon vocat Petrum. Obijt die 1. Februarij 1355. *Ex Libro Obligationum* Ciaccon. 1356.

ARNALDVS ex Canonico Ordinis Sancti Augustini, Episcopus Apamearum, Presbyter Cardinalis, Titul. Sancti Sixti. Obijt die 28. Octobris 1355.

PETRVS de Croso Episcopus Antisiodorensis, Presbyter Cardinalis, Titul. Sancti Martini in Montibus. Decessit ex epidemia die 23. Septembris 1361. Hunc Frizon asserit creatum ab Innocentio Sexto Anno 1356. sed *in Libris Sacri Collegij* hac die, & anno creatus asseritur.

AEGIDIVS Rigaudi Abbas Sancti Dionysij in Francia, Presbyter Cardinalis, Tit. Sanctæ Praxedis. Decessit die 10. Septembris 1353.

Fr. IOANNES de Molendino, Ordinis Prædicatorum Magister generalis, Presbyter Cardinalis, Titul. Sanctæ Sabinæ. Obijt Auenione die 23. Februarij 1353: *Ex Libro Obligationum*. Ciaccon. 1358.

RAINALDVS de Vrsinis Papæ Notarius, Diac. Card. Titul. Sancti Adriani. Obijt die 6. Iunij 1374.

IOANNES de Caramagno Papæ Notarius, Presbyter Cardinalis, Tit. Sancti Georgij ad velum aureum. Obijt in loco de Sancto Felice Vauieñ. Diœcesis, die prima Augusti 1361.

Ciacconus in prima creatione omittit Heliam Patriarcham Hierosolymitanum, qui tamen *in libris Sacri Collegij, & Registro Pontificio* legitur creatus S. R. E. Cardinalis.

Superad-

Superaddidit Petrum Cyriaci Lemouicensem, Episcopum Attrebatensem, qui tamen forte idem est cum Petro Bertrandi Episcopo Attrebatense posito in secunda creatione, vnum enim amanuenses Sacri Collegij Cardinalium Cardinalem Episcopum Attrebatensem nomine Petrum agnoscunt.

In secunda creatione omittit Petrum Bertrandi, & superaddit Raymundum de Canhiliaco Episcopum Antisiodorensem, quem credidit diuersum esse Cardinalem a Raymundo Episcopo Tolosano, cuius meminit num. 16. sed tamen vnus, & idem est Raymundus, quia Raymundus de Canhiliaco fuit Episcopus Tolosanus, non autem Antisiodorensis, vt *in libris Sacri Collegij Cardinalium*.

In quarta creatione omittit Aegidium Abbatem Sancti Dionysij, Tit. S. Praxedis, cuius tamen meminit additio; Superaddit Petrum de Foresta, qui tamen ab Innocentio VI. assumptus fuit in Cardinalem.

Vlterius additio superaddit Mattheum Germanum familiæ Corozman. Athesinum Capellanum, Comitem Tirolensem, de quo nec Ciacconus, nec Panuinus, nec alij de Cardinalibus scriptores meminere: in Registro Pontificis, & in libris Sacri Collegij de illius Cardinalatu nulla extat memoria.

Petrus Frizon in Gallia Purpurata affirmat Stephanum de Guardia Archiepiscopum Arelateñ Sanctorum Siluestri, & Martini Presbyterum fuisse creatum Cardinalem à Clemente VI. atque hunc fuisse Legatum in Lombardia, & Romandiola, Regnumque Neapolitanum administrasse, & reprehendit Ciacconum, qui

eum vocat Aymericum. Sed errat Frizon, nam Clemens VI. Aymerico de Castroluci Cardinalatum detulit die 20. Septembris anno 1342. eumdem in Romandiola, Lombardia, ac tota fere Italia Legatum declarauit 2. idus Octobris anno primo; eumdem Aymericum defuncto Roberto Rege Siciliæ Bailum, Administratorem, & Gubernatorem Regni constituit x. Calendas Februarij anno 2. eumque idem Clemẽs vocat Aymericum, & ipsemet Aymericus se Aymericum inscribit in suo Regestro Neapolitano: quare neganti hunc Cardinalem Aymericum Regni Neapolitani Gubernatorem, deferendum non est.

Idem Frizon Petrum de la Foresta Franciæ Cancellarium creatum affirmat anno 1350. S.R.E. Diaconum Cardinalem, postea Presbyterum XII. Apostolorum, sed labitur, creatus est enim S.R.E. Presbyter Cardin. die 23. Decembris 1356. ab Innocentio Sexto & die Lunæ prima Maij 1557. primo intrauit Curiam, vt loquitur Amanuensis *in libro Obligationum pro Sacro Collegio.*

INNOCENTIVS VI.

Stephanus Alberti Lemouicensis Cardinalis, Episcopus Ostiensis die 18. Decembris 1352. Auenione Summus Pontifex renuntiatur, Die 30. coronatur. Decessit die xij. Septembris anno 1362. Auenione.



INNOCENTIVS Seruus Seruorum Dei. Ven. Fratribus Archiepiscopo Remeñ. eiusque Suffraganeis Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Prædicator egregius, qui vas electionis factus est Domino, altitudinem sapientiæ, & scientiæ Dei cum stupore considerans, quam incomprehensibilia sunt, inquit, iudicia eius, & inuestigabiles dies eius; probat hoc quotidianorum euentuum successio varia, probat rerum ipsa diuersitas, & accidentium casuum contrarietas manifestat, quorum ministeria mens nequit humana comprehendere, ratio inuestigare non sufficit, & ad contemplationem quorum obsitus caligine mortalis oculus non attigit: probat hoc etiam nostræ infirmitatis humilitas, per quam, dum nullis suffragantibus meritis ad fastigium Apostolicæ dignitatis euehitur, quid aliud indicatur, nisi quod occulto nobis Dei iudicio agitur, vt plerumque promoueatur immeritus, & quandoque assumatur indignus. Nuper siquidem fel. rec. Cle-

mente Papa Sexto prædeceſſore noſtro tela vitæ ſucciſa in Domino quieſcente, & ipſius funeralibus exequijs cũ honorificentia debita celebratis, nobiſque vna cum Fratribus noſtris S.R.E. Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, tempore debito conuenientibus inuicem in Palatio Apoſtolico Auenionẽ, in quo idem prędeceſſor tempore ſui obitus habitabat pro futuri electione Paſtoris, tandem poſt dies aliquot, licet paucos, ille Pontifex Summi ſummus, qui eamdem Eccleſiam Sponſam ſuam proprij cruoris aſperſione fundauit, & ſupra petrã fidei mox naſcentis erexit, illaque ſoliditate firmauit, vt nullis impulſionibus quateretur, diutinæ vacationis ipſius Eccleſiæ diſpendia reſecans, in eum ſua munera contulit, in quo meritorum ſuffragia non inuenit, & eorumdem Fratrum corda informans, & dirigens ſic afflauit, vt in imbecillitatem noſtram, quamquam eſſent plures, in quos concurrere potuiſſent, vt credimus conſultius, & vtilius, conuenirent, noſque tunc Epiſcopum Oſtienſem, cuius ad tantæ dignitatis honorem, & onus vires, & merita, nec ſuppetebant, nec ſuppetunt, ad vniuerſalis Eccleſiæ faſcem regiminis eligerent ſupportandum. Nos autem infirmitatis noſtræ conſcij, & imperfectionis etiam non ignari attendentes, quod nihil tàm inſolitum, tàm pauendum, quàm labor fragili, ſublimitas humili, & dignitas non merenti, ad tantæ molis ſarcinam ſuſcipiendã expauimus. Sed demum debita conſideratione penſantes, quod de qualitate noſtrorum operum nequaquam pẽdet Cœleſtium menſura bonorum, ac ſperantes, quod ille, qui eſt oneris actor, erit adminiſtrationis adiutor, & ne ſub magnitudinis gratia ſuccumbat infirmus, dabit

virtu-

virtutem, qui tribuit dignitatem, & in eo fiduciam erigẽtes, qui ouium suarum curam licèt multis Pastoribus delegarit, sui tamen dilecti gregis custodiam non reliquit; quique D. Petro Apostolorum Principi fiduciam præstitit, vt in vndas descenderet, & dexteram porrexit auxilij, vt dubitans non periret, colla subijcimus iugo Apostolicæ seruitutis, ad quod gerendum vtilius orationũ vestrarum suffragia implorantes, Vniuersitatem vestram monemus, rogamus, & obsecramus in Domino Iesu Christo, quatenus diligentius attendentes, quod ad tanti ponderis sarcinam supportandam peruigiles cooperatores esse vos exigit, vobis in vestris gregibus sollicitudo commissa in huiusmodi cooperationis ministerio exequendo super greges eosdem sollicitè vigiletis, & debilitati nostræ deuotarum orationum, & placationum vberum frequentibus oblationibus assistatis ab eo, qui nobis sarcinã eamdem imposuit, seu potius forsan imponi permisit, supplicationibus deuotis, & sedulis implorãtes, vt qui ex eisdem nostris defectibus sub illius onere premimur, ipsius munere subleuemur, nobisque ipse bonorum largitor omnium, sic illam ad Sui Nominis laudem, & gloriam nostram, populique sui salutem portare sua pietate concedat, quod eadem mater Ecclesia filios suos numero, & merito nostris multiplicari temporibus glorietur.

Cæterum effectum vobis charitatiuæ benignitatis ex pandimus, & sinum charitatis solitè aperimus, proponentes in quibus cum Deo poterimus honori vestro deferre, ac vestra, & Ecclesiarum vestrarum commoda, pro quibus ad nos recurrere cum securitate poteritis, in promptitudine beneuolentiæ promouere. Cum autem sicut intel-

leximus portatores huiusmodi litterarum interdum esse consueuerunt contra intentionem mittẽtium exactores, nunc importunæ petitionis instantia, nunc etiã murmurationum susurrijs, & detractionum, & querelarum comminationibus exigendo, scire vos volumus, quod nostræ intentionis existit, & latori pręsentium expressè inhibuimus, eumque iurare fecimus, quod ad exigendum, vel obtinendum aliquid præter ea, quæ pro expensis suis necessarijs, per alias ei sub certa forma litteras, quas vobis exhiberi mãdauimus, ministrari præcipimus, talibus instantijs, & murmurationibus non vtatur, nec recipere etiam oblata pręsumat, ideoque vt nostris in hoc intentioni, & beneplacito cõcurratis, huiusmodi abusionibus, cæterisque similibus, si forsan eis, quod non est verisimile, vti præsumerent contra proprium iuramentum, contemptis, omnino vos vltra præmissa sibi vestro ministrãda mandato, tribuendo aliquid non grauetis, cum non per extorsiones huiusmodi, sed alia retributione congrua intendamus ipsorum laboribus respondere. Datum Auenione vndecimo Kalendas Ianuarij, Pontificatus Nostri Anno primo.

PRE

PRIMA CREATIO
Cardinalium.

Aueniono, Die 15. Februarii 1353.

Ex Libro Obligationum.

Ciacconus, Menſe Martio creatum aſserit.

ANDOINVS Alberti, ex fratre Nepos, Epiſcopus Magalonenſis Presbyter Cardinalis, Titul. SS. Ioannis, & Pauli. Deceſſit Epiſcopus Oſtienſis, Die 9. Maij nocte ſequenti anno 1363.

SECVNDA CREATIO
Die 23. Decembris 1356.

HELIAS de Sancto Eredio, ex Monacho Sācti Benedicti, Epiſcopus Vticenſis. Obijt Epiſcopus Oſtienſis, Die 10. Maij 1367.

FRANCISCVS de Tuderto, quem vocant de Aptis, Presbyter Cardinalis, Tit. Sancti Marci. Obijt die 25. Auguſti 1361.

PETRVS de Monteruco Nepos Pontificis ex ſorore, electus Pampiloneñ. Presbyter Cardinalis, Titul. Sanctæ Anaſtaſiæ, S.R.E. Vicecancellarius. Obijt die 30. Maij 1385.

Fr. GVILLELMVS Farinerij de Gordonio, Ord. Minorum Generalis, Presbyter Cardinalis, Tit. SS. Marcellini, & Petri. Decessit die 27. Iunij 1361.

Fr. NICOLAVS Roselli Prouincialis Aragoniæ, Ord. Prædicatorum, Presbyter Cardinalis, Titul. S. Sixti. Obijt die 28. Martij 1362.

PETRVS de Foresta, Archiepiscopus Rothomageñ. Presbyter Cardinalis, Titul. Basilicæ XII. Apostolorum. Obijt die 27. Iunij 1361.

TERTIA CREATIO

Die 17. Septembris 1361.

Fr. FORTVNNIVS, seu FORTANERIVS Vasselli, ex Ordine Minorum, Patriarcha Gradeñ. Administrator Ecclesiæ Rauennatensis. Decessit sine Titulo, antequam ad Curiam aduenisset, *Ex Libro Obligationum.*

PETRVS Iterij, Episcopus Aquensis, Presbyter Cardinalis, Tituli SS. Quatuor Coronatorum. Obijt Episcopus Albanus, Die 20. Maij 1367.

IOANNES de Blandiaco, Episcopus Neumaseñ. Presbyter Cardinalis, Tit. Sancti Marci. Obijt Episcopus Sabineñ. Die 8. Iulij 1379.

AEGIDIVS Ysalmij de Monteacuto, Episcopus Morinensis, & Regis Franciæ Cancellarius, Presbyter Cardinalis, Tituli Sancti Martini in Montibus. Obijt die 5. Decembris 1378.

ANDROINVS de Rocha, Abbas Cluniacensis, Presbyter Cardinalis, Tituli Sancti Marcelli. Obijt die 29. Octobris

bris 1369.

STEPHANVS Alberti ex fratre Nepos, Episcopus Carcassonen. Diac. Card. Tit. Sanctæ Mariæ in Aquiro. Obijt Presbyter Tit. S. Laurentij in Lucina, die 29. Septembris 1369.

GVILLELMVS Bragose, electus Vabien. Diac. Card. Tit. S. Georgij ad velum aureum, postea Maior Pœnitentiarius, & Presbyter Cardinalis, Tit. S. Laurentij in Lucina. Decessit Romæ, Die 11. Nouembris 1367. Ciacconus 1347. per errorem Impressoris.

HVGO de Sancto Martiali, Præpositus Duacensis, Diac. Cardinalis, Tituli Sanctæ Mariæ in Porticu, viuebat die 5. Martij 1389. Obijt 1403. *Ex Bulla Benedicti xiij.* qui Prioratum de Montealto Cluniaceñ. Ordinis vti vacantem per obitũ Hugonis confert Guidoni Episcopo Prænestino, sexto Kalendas Octobris anno 9. Ciaccon. 1384.

Ciacconus in prima Creatione, omittit Franciscum de Tuderto, quem agnoscit Additio.

Inter Cardinales Bonifatij Octaui ab eodem Ciaccone Franciscus Neapolionis asseritur esse vnus, & idem cũ hoc Francisco: Franciscus vero de Tuderto enunciatur in tumulo, Franciscus de Filijs Vrsi. Vlterius Ciacconius omittit Petrum de Foresta, quem tamen retulerat sub Clemente vj. num. 24.

Enumerat inter Cardinales ab Innocentio creatos Petrũ de Croso, qui tamen fuit à Clemente vj. creatus.

In tertia Creatione Aegidium Ysalmij, asserit esse Aegidium Bellamera Decretorum Doctorem, & Rotæ Auditorem. At Aegidius Bellamera, qui sequebatur partes

tes Clementis Septimi, erat simplex Archidiaconus Andegauẽn.& Audientię litterarum contradictarum Auditor anno 1378. vt *in Bulla eiusdem Clementis, anno primo, num.* 130. Insuper inter Cardinales recenset quemdam Philippum de Rufinis Episcopum Sermiensem, sed ignorat, cuius sit Patriæ, vel Tituli. *In libris Sacri Collegij, & in Registro Pontificio* de eo non extat memoria.

Petrus Frizon in Gallia purpurata inter Cardinales Innocentij Sexti enumerat Guillelmum de Gardia Hierosolymitanum Patriarcham, quem Ciacconus refert creatum ab Vrbano Sexto; de hoc vide in eodem Vrbano.

VRBANVS

VRBANVS QVINTVS.

Guillelmus Grimaldi , Abbas Sancti Victoris Marsiliensis Sedis Apostolicæ in Italia Legatus Auenione, die vltima Octobris, anno 1362. in Summum Pontificem eligitur Ex libris Obligationum , *Ciacconus die 20. Octobris. Die 6. Nouembris Coronatur. Die 19. Decembris hora Nonæ Anno 1370. Auenione migrauit ad Dominum.*



RBANVS Episcopus Seruus Seruorum Dei Ven. Fratri nostro Aegidio Episcopo Sabineñ. Apostolicæ Sedis Legato Salutem. &c. Saluator Noster Dominus Iesus Christus humano generi ex lapsu primi parentis miserabiliter pereunti compatiens, de superna gloria dignatus est ad terrena descendere, vbi sanctam, & immaculatam Ecclesiam ordinauit, ipsamque in suis Discipulis fide firmauit, spe erexit, & charitate perfecit, ac proprijs eloquijs docuit, & instruxit exemplis, vt fideles in ea velut in Noe Archa recepti, saluationis gratiam reperirent, eisdemque Discipulis prę fatam commendauit Ecclesiam, in ea B. Petro, quem Cephas appellauit, constituens principatum, vt ex eadē Ecclesia ijs, quæ dextera sua non plantasset, euulsis, illa plantarent, per quæ redemptum suo sanguine populum

bonorum operum redderent sectatorem: præuiditque ac prædixit idem Dominus, præfatam Ecclesiam multas tribulationum angustias perpessurum, sed eam benigna pollicitatione confortans sibi promisit suæ virtutis præsentiam assistricem, quod in primo suo Vicario præfigurans, eius nauem, in qua prælibata significatur Ecclesia, permisit iactari fluctibus, sed minimè naufragari: hęc siquidem mira sapientia Deitatis in eiusdē Ecclesiæ primordio peregit in signum, quæ vsque ad hæc tempora multis continuauit experientijs veritatis, dum suis in Terris Vicarijs, & Successoribus Petri de laboribus ad quietem, & de huius valle miseriæ ad Cælestis aulæ delicias, prout piè credendum est, euocatis, prælibatam Ecclesiā contristatam exinde, in magnisq ue periculis constitutū de substitutione Successorum lætam reddidit, eiusque periculis misericorditer obuiauit, prout sēper hactenus, ac etiam nouissimis diebus ostendit. Nuper namque videlicet ij. Idus Septembris proximè elapsi piæ rec. Innocētio Papa Sexto prædecessore nostro viam vniuersæ carnis ingresso, eiusque corpore cum solemnibus exequijs in Ecclesia Auenionen̄. deposito, ad locum alium, quem ipse, dum ageret in humanis, elegerat postmodum transferendo, Vener. Fratres nostri Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales tempore debito secundum præcepta Canonum Missarum solemnijs in honorem Spiritus Sancti in electionem Summi Pontificis, quæ facienda imminebat, eisdem per suam affuturi gratiam deuotissimè celebratis, conuenerunt insimul in Palatio Apostolico Auenionensi, in quo idem Prædecessor tempore sui obitus habitabat, de substitutione eiusdem Pontificis tractaturi, aliquibus

quibusque tractatibus in hoc præhabitis, prout tanti negotij qualitas requirebat, tandem ijdem Fratres ad nos, qui tunc in minori constituti Officio certæ nunciationis ministerium a præfato Prædecessore nobis iniunctum gerebamus in Italię partibus intuitum dirigentes, Nos in Summum Pontificem, & Pastorem vniuersalis Ecclesiæ concorditer elegerunt. Nos autem, qui sumus cinis, & puluis, ex hoc fuimus non immeritò stupefacti, cum oculi nostri in pręfatum nostrum euidenter cernerent, & nec vires corporis, nec virtutum merita, nec scientiæ donum nobis suppeterent ad Apostolici culminis speculam conscendendum, & grauissimam totius orbis sarcinam nostris debilibus humeris perferendam; Cogitantes tamen quod Ecclesiæ prędictæ diuturna vacatio, præsertim diebus istis, quibus peccatis exigentibus totus fere orbis in maligno est positus, magna possent pericula generare, ac confidentes in Deo, qui nos licet indignos ad pascendũ oues vniuersi sui gregis elegit, quod sua consueta misericordia ad ipsius laudem, & gloriam, ac nostram, & totius populi Christiani salutem in eiusdem populi salubri regimine dabit fortitudinem debili, indigno virtutem, & scientiam ignoranti, cum timore, ac tremore diuinæ voluntati paruimus, ac eorumdem Fratrum desiderijs annuentes fragilitatis nostrę colla iugo submisimus Apostolicæ seruitutis, & hesterna die Octauo idus Nouembris consecrationis, & benedictionis munus, & coronationis insignia recepimus, vt est moris. Ad præmissa itaque nobis necessaria obtinenda facilius tuarum orationum suffragijs indigentes Fraternitatem tuam hortamur, ac obsecramus in Domino, quatenus debilitatem

nostram apud Altissimum tuis deuotis precibus adiuuās iniunctum sibi ab Apostolica Sede legationis officium solitæ tuæ prægrandis prudentiæ sollicitudine prosequaris in terris tuę legationis, charitatiuo comportans studio impositam nobis vniuersalis oneris grauitatem, vt mediantibus tuis auxilijs de grege nobis a superno Episcopo, & Pastore commisso bonam eidem rationem reddere valeamus. Cœterum prægrauem tuorum laborum sarcinam, sollicitudinis indefessæ solertiam, & variarum cogitationum amphractus ætatis tuæ grauedini cumulatos, quibus pro felici statu, & honore S.R.E. cuius honorabile membrum existis, adeo vexaris assiduè, quod dulcedinem quietis ignoras per experientiam, qua illos tecum quandoque communicauimus in minori officio cōstituti certa scientia cognoscentes, tibi de illis paternè cōpatimur, & maioris adstringimur vinculis charitatis, gerentes in votis, ac proposito illa Domino adiuuante peragere, quæ tuis consolationi, ac desiderijs reddantur accepta, honorem eiusdem Fraternitatis adaugeant, ac nostris, & Ecclesiæ prædictæ subiectis, quos prouidè regis, & protegis, expectatæ quietis tribuat incrementum. Datum Auenione 7. Idus Nouembris anno primo.

PRIMA

PRIMA CREATIO Cardinalium.

Auenione, Die 18. Septembris 1366.

AEGIDIVS Grimoaldi ex fratre nepos Episcopus Aucnionensis, Presbyter Card. Tit. S. Petrj ad Vincula. Decessit Episcopus Albanus, die 18. Aprilis 1388. Additio ad Ciacconium contendit esse Pontificis fratrem germanum, *in libris Obligationum* nepos vocatur.

Fr. GVILLELMVS Sudre ex Ordine Prædicatorum, Episcopus Massiliensis, Presbyter Cardinalis, Tit. SS. Ioannis, & Pauli. Obijt Episcopus Ostiensis, die 18. Aprilis 1373.

Fr. MARCVS de Viterbio, Ordinis Minorum Generalis, Presbyter Card. Tit. S. Ptaxedis. Decessit Viterbij, die 3. Septembris anno 1369.

SECVNDA CREATIO

Die 12. Maii anno 1369.

GVILLELMVS de Agrifolio iunior, Presbyter Cardinalis, Tituli Sancti Stephani in Cæliomonte. Obijt ex eo tẽpore, quo Rex Franciæ, & Castellæ subtraxerat obediẽtiam Clementi Septimo, scilicet post annum 1398. & in eius tumulo legitur die 13. Ianuarij 1401.

TERTIA

TERTIA CREATIO.

Die 22. Septembris 1368. apud Monteflasconem.

ARNALDVS Bertrandi Patriarcha Alexandrinus, Presbyter Card. Tit. . . . . asseritur obijsse Viterbij 1369.

PHILIPPVS Cabassolæ Patriarcha Hierosolymitanus, Presbyter Cardinalis, Tit. SS. Marcellini, & Petri. Decessit Episcopus Sabineñ. die 27. Augusti 1372.

SYMON de Lõgam ex Ordine Sancti Benedicti Archiepiscopus Cantuariensis, Presbyter Card. Tit. S. Praxedis. Obijt Episcopus Prænestinus, Die 22. Iulij 1376.

BERNARDVS de Bosqueto Archiepiscopus Neapolitanus, Presbyter Cardinalis, Tit. Basilicæ XII. Apostolorum. Obijt die 19. Aprilis 1371.

IOANNES de Dormano, Episcopus Belluacensis, Presbyter Cardinalis, Tit. SS. Quatuor Coronatorum. Obijt die 7. Nouembris 1373. *ex tumulo.*

STEPHANVS de Parisijs, Episcopus Parisieñ. Presb. Card. Tit. S. Eusebij. Obijt die 17. Octobris 1373.

PETRVS de Kinaco, Abbas Mõtis Maioris, Episc. Castreñ. Presb. Card. Tit. S. Laurentij in Damaso. Obijt Mense Octobris 1369. *Ex libro Obligat.*

FRANCISCVS de Thebaldescis, Basilicæ Sancti Petri Prior, Presbiter Cardinalis, Tituli Sanctæ Sabinæ. Obijt die 20. Augusti 1378.

QVARTA

QVARTA CREATIO

Die 7. Iunii 1370. apud Montesflasconem.

PETRVS de Stagno Archiepiscopus Bituricen̄. Presbyter Cardinalis, Titul. S. Mariæ in Transtiberim. Obijt Romæ, Die 25. Nouemb. 1377. *Ex libro Obligationum.* Ciacconus Auenione.

PETRVS Corsinus Episcopus Florentinus, Presbyter Cardinalis Tit. S. Laurentij in Damaso. Decessit Episcopus Ostiensis, Die 16. Augusti 1405. *ex tumulo.*

Ciacconus in prima Creatione superaddit Petrū Tornacinquium Florentinum, Tit. S. Marcelli, quem decem & septem annis affirmat vixisse in Cardinalatu, sed ego vna cum Amanuensibus Sacri Collegij Cardinalium hunc inter Cardinales enumerare non possum, cum nulla de ipsius Cardinalatu in publicis libris, & registro Pontificio adsit mentio.

Vlterius obseruabam prefatum Petrum Tornacinquiū affirmari creatum Cardinalem Tituli Sancti Marcelli, sed tempore huiusmodi creationis Androinus de Rocha erat Cardinalis Tituli Sancti Marcelli, quem Titulum vna cum Ecclesia verè, nō autem per denominationem retinuit, & cum eo decessit anno 1379. eique in eodem Titulo subrogatus est Ioannes Fabri anno 1371. cui successit Ioannes Episcopus, & vsque ad annum 1402. superuixit, quare cum præfati tres Cardinales Titulum Sancti Marcelli successiuè ob-

tinue-

tinuerint, non potuit eodem tempore eumdem titulum obtinere Tornacinquius, ex quo etiam potest error scribentis deprehendi.

In tertia Creatione Ciacconus non meminit
Petri de Kinhaco forte pro hoc Petro
supposuit Petrum Tornacinquium.

GREGO-

GREGORIVS XI.

Petrus Rogerij, Diac. Cardinalis, Tituli Sanctæ Mariæ Nouæ, die 30. Decembris anno 1370. coronatur. Die 27. Martij circa horam secundam noctis anno 1378. Romæ migrauit ad Dominum. *Auen. Summ. Pont. creat. die 15. Ian. 1371.*



REGORIVS electus Episcopus, Seruus Seruorum Dei, &c. Carissimo in Christo filio Carolo Regi Francorum Illustri salutem. Rerum omnium prouidus ordinator iuxta sui dispositionem arbitrij quod non fallitur, licet eius arcana ratio nequeat ab omnibus comprehendi, sic dat esse rebus ipsis, sicque dispensat ineffabili prouidentia munera gratiarum, sic etiam creaturarum conditiones, & status ordinat, prout vult, variat, & disponit, quod in horum consideratione sensus hominis non sufficit, cum sint inuestigabiles viæ Domini, & sapientiæ suæ magnitudinẽ humani capere nequeant intellectus; facit enim fortem ex debili, tristibus dat solamen, & ponit nonnunquam humiles in sublimi, plenam, & perfectam habens ad singula tanquam palmo concludens omnia potestatem. Sãctæ felicis record. Vrbano Papæ Quinto prædecessori nostro de præsentis valle miseriæ ad supernam patriam euocato Ven. Fratres Nostri Episcopi, Presbyteri, & Diaconi Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales pro futu-

ra ſubſtitutione Paſtoris conuenientes in vnum ſub deliberationis magnę Conſilio, quam tanti negocij qualitas exigebat, licèt potuiſſet in alios conſentire maiorum meritorũ claritate conſpicuos, & plurium virtutum titulis inſignitos ad tantæ adminiſtrationis præcellentiam digniores, tamen ad Perſonam veſtram dirigentes vnanimiter vota ſua, nos tunc Sanctę Mariæ Nouæ Diaconum Cardinalem ad celſitudinis Apoſtolicæ ſpeculum, ſicut Domino placuit, hodie per viam Sancti Spiritus euocarunt. Nos verò in conſiderationis examine onus huiuſmodi per hoc noſtris imponendum humeris, & opus noſtra proſequendum ſollicitudine attendentes, noſtrarumque metientes virium quantitates, virtutum quoque noſtrarum merita proſpicientes ad onus ipſum minimè poſſe ſufficere, eligeñ. ſano conſilio putabamus, vt humeri ſubducerentur ab onere, & manus ab opere arcerentur, verum ne diuinę voluntati reſiſtere videremur de illius confidentes clementia, qui debilem roborat, & lapſo dat virtutem; quique ſolus poteſt, cum omnis ſufficientia ſit ab eo, noſtram inſufficientiam abundantia virtutis ſuæ ſupplere in humilitatis ſpiritu tanti oneris ſarcinæ imbecilles expoſuimus humeros, & humiliter colla ſubmiſimus iugo Apoſtolicæ ſeruitutis ſuppliciter implorantes, vt ipſe omnipotens Dominus, qui timentibus, inuocantibus nomen ſuum, mira tribuit operatione virtutes, id quod poſſibilitas noſtra non obtinet, ſupernæ prouidentiæ gratia largiatur, de tua igitur Fili cariſſime eximiæ deuotionis ſinceritate, quam ſemper ad Romanam Eccleſiam habuiſti, grande noſtræ fiduciæ ſuſcipientes fulcimentum, ad quam dudũ, dum minori

fun-

fungeremur officio, ſpecialem, & intimum habuimus, & nunc etiam habemus affectum, huiuſmodi promotionem noſtram duximus nunciandam, ſerenitatem Regiã attentius deprecantes, quatenus apud Patrem luminum ſedulis orationibus, & deuotis inſiſtas, vt ipſe de ſuæ benignitatis clementia oculos noſtræ mentis illuminans, & in ſemita mandatorum ſuorum dirigens actus noſtros gregem ſuum noſtræ ſollicitudini creditum nos ſic ſalubriter gubernare, ſic in commiſſi nobis executione Regiminis ſuum beneplacitum adimplere concedat, vt ſibi cedat ad gloriam, nobis, & commiſſæ curæ noſtræ populo ad ſalutem, & inſuper progenitorum tuorum Chriſtianiſſimorum Regum Franciæ laudabilia imitando veſtigia, Romanam, & alias Eccleſias, & perſonas Eccleſiaſticas fauere, & honorare ſtudeas, & ſuper ijs, quæ tibi, & tuis videris profutura, nos prompta ſecuritate requiras, nam Regiæ ſerenitati ſe fauorabilem in omnibus exhibebit Apoſtolici fauoris, & gratiæ plenitudo: te ſiquidem etiam non petente proponimus diuina fauente clementia tuæ magnitudinis incrementis felicibus exultare. Nec mireris, quod bulla non exprimens nomen noſtrum eſt appenſa præſentibus, quæ ante Conſecrationis, & Benedictionis noſtræ ſolemnia tranſmittuntur, quia ij, qui fuerunt hactenus in Romanorum electi Pontifices, conſueuerunt in Bullandis litteris ante ſuę Conſecrationis, & Benedictionis munus modum huiuſmodi obſeruare. Datum Auenione, 3. Kalendis Ianuarij, ſuſcepti à Nobis Apoſtolatus Officij Anno primo.

PRIMA CREATIO

Auenione, die 8. Iunii anno 1371.

PETRVS Gomesij de Albornoz, Archiepiscopus Hispalensis, Presbyter Cardinalis, Tituli Sanctæ Praxedis. Decessit die 2. Iunij 1374.

IOANNES de Croso, Episcopus Lemouicensis, Presbyter Card. Tit. SS. Nerei, & Achillei. Obijt Episcopus Prænestinus, die 21. Nouembris anno 1383.

BERTRANDVS de Chanaco, Episcopus Conuenarum, Presb. Card. Obijt die 17. Iunij 1374.

Fr. BERTRANDVS Augerij ex Ordine Minorum, Episcopus Glandacensis, Presbyter Cardinalis, Tit. Sanctæ Priscæ. Obijt Episcopus Ostiensis die 15. Nouembris 1592. *ex libro Obligationum*, hunc Frizon vocat Petrum.

ROBERTVS de Gebennis, Presbyter Cardinalis, Tituli Basilicæ XII. Apostolorum, postea Clemens VII. Antipapa.

GVILLELMVS de Chanaco, Episcopus Mimatensis, Presbyter Cardinalis, Tituli Sancti Vitalis. Obijt die 30. Decembris 1383. Ciacc. 1398.

IOANNES Fabri, Episcopus Tutillensis, Presbyter Cardinalis, Tituli Sancti Marcelli. Obijt die 6. Martij 1372.

IOANNES de Turre, Abbas Monasterij Sancti Benedicti Floriacensis, Presbyter Cardinalis, Tituli S. Laurentij in Lucina. Obijt die 15. Aprilis 1374.

IACOBVS de Vrsinis, Sedis Apostolicæ Notarius, Diaconus Cardinalis: Tituli Sancti Georgij ad velum au-

reum. Deceſſit, apud Vicum Varronis, die 15. Augusti 1379. Ciacc. 1374.

PETRVS Flandrini, Papæ Referendarius, Diaconus Cardinalis, Tituli Sancti Eustachij. Obijt die 23. Ianuarij 1381.

GVILLELMVS Noelletti, Papæ Referendarius, Diaconus Cardinalis, Tituli Sancti Angeli. Obijt 4. Iulij 1394. Ciacc. 1390.

PETRVS de Verruyo, Archidiaconus Rothomagenſis, Referendarius, & Auditor S. Palatij, Diaconus Cardinalis, Tituli Sanctæ Mariæ in Via lata. Obijt die 6. Octobris 1403.

SECVNDA CREATIO.

Die 20. Decembris 1375.

PETRVS Iudicis ex Monacho Sancti Benedicti, Archiepiſcopus Rothomagenſis, Presbyter Cardinalis, Tituli . . . . Deceſſit Piſis die 12. Nouembris 1376 *Ex libro Obligationum*.

SYMON de Boyſſano, Archiepiſcopus Mediolaneñ. Presbyter Cardinalis, Tituli SS. Ioannis, & Pauli. Deceſſit in Ciuitate Niceñ. die 27. Augusti 1381.

HVGO de Montelegum de Britannia, Epiſcopus Briocenſis, Presbyter Cardinalis, Tituli SS. Quatuor Coronatorum. Obijt Epiſcopus Sabinus die vltima Februarij 1384. Ciaccon. 1390.

IOANNES de Buxeria, Abbas Ciſtercienſis, Presbyter Cardinalis, Tituli Sancti Laurentij in Lucina. Obijt

die 4

die 4. Septembris 1376.

Gvido de Malosiuo, Episcopo Pictauen. Presbyter Cardinalis, Tituli Sanctæ Crucis in Hierusalem. Decessit Episcopus Prænestinus anno 1412. eiusque obitus nuntiatus fuit Ioanni 23. die 4. Aprilis, vt legitur *in libro Obligationum*, at in tumulo scribitur die 8. Martij 1411.

Ioannes de Grangia ex Monacho Sancti Benedicti, Episcopus Ambianen. Presbyter Cardinalis Tituli Sancti Marcelli, obijt ab eo tempore, quo Rex Galliæ, & Castellæ subtraxerunt obedientiam Clementi Septimo scilicet ab anno 1398. ad annum 1403. & in eius tumulo legitur die 24. Aprilis 1402.

Geraldvs de Podio Abbas Maioris Monasterij prope Turonem Vicarius in Ciuitate Perusina Presbyter Cardinalis Tituli Sancti Clementis. Obijt mense Februarij 1389. Auenione.

Petrvs de Luna Præpositus Valentinus Diaconus Cardinalis Sanctæ Mariæ in Cosmedin dictus etiam de Aragonia; Postea Benedictus XIII.

Petrvs de Sortenaco Episcopus Viuarien. Tituli Sancti Laurentij in Lucina. Obijt Episcopus Sabinensis, die Martis 16. Augusti 1390. *Ex libro Obligationum*, hunc Ciacconus vocat Petrum de Bernia Viuarien.

Superaddit Ciacconus Petrum de Tartaris Abbatem Cassinensem, & Ioannem de Flisco, sed neuter fuit Cardinalis. Ioannis enim erat Episcopus Vercellensis anno 1376. eique Gregorius XI. concedit regimen Ciuitatis Vercellensis, quæ ipsius opera erepta Apostolicæ Sedi de manibus hostium fuerat restituta,

vt patet ex libris eiusdem Gregorij datis Nonis Maij anno quinto, scilicet Mensibus quinque post hanc Creationem.

PETRVS Vero de Tartaris tertio Nonas Nouembris anno 4. Pontificatus Gregorij scilicet anno 1375. fuit translatus à Monasterio Sancti Laurentij extra muros Vrbis ad Monasterium Cassinense, & vixit vti Abbas vsque ad annum 1395. vt constat ex scripturis de Schismate sequuto post obitum Gregorij, & Archiuio mōtis Cassini, & ex elogijs Abbatum Cassinensium nuper editis, de quo vide in Vrbano VI.

PETRVS Frizon inter Cardinales enumerat Bertrandum de Chanac Patriarcham Hierosolymitanum, quem asserit obijsse anno 1404. sed labitur: duo enim sunt Bertrādi eiusdem nominis, & cognominis, alter creatus a Gregorio, qui decessit anno 1374. alter creatus a Clemente VII. pseudo Pontifice, qui erat Patriarcha Hierosolymitanus, & de hoc loquitur inscriptio sepulchralis a Frizone relata.

VRBANVS SEXTVS.

Bartholomeus Prignanus Archiepiscopus Barensis die 8. *Aprilis* 1378. *Romæ Summus Pontifex Creatur.*

Die Dominico festo Sanctissimæ Paschatis 18. *eiusdem mensis, & anni coronatur ad gradus Sancti Petri.*

Veneris die 15. *Octobris anno* 1389. *Romæ migrauit ad Dominum.*

Litteræ Cardinalium, qui Vrbanum VI. elegerunt. Ad Cardinales Auenione commorantes Anno 1378.



EVERENDISSIMI Patres, & Domini. Quia plerumque, imò vt plurimum, præsertim in rebus arduis famæ loquacitas veritatem quibusdam coloribus adulterinis obnubilat, ideo quid ijs diebus in Romana Ecclesia, cuius honorabiliora membra, & sublimes columnæ pariter nobiscum existitis, gestum sit, vobis præsenti scriptione veridica curauimus intimare, vt & his, qui vobis rem aliter narrauerint, seu scripserint, non credatis, ac mentes vestræ hac nostra insinuatione clarificatę in tranquillo, & sereno veritatis

ritatis littore conquiescant. Vestris igitur Paternitatibus innotescat, quod Sanctæ, Felicisque record. Domino, & Patre Nostro D. Gregorio Papa XI. die 27. mensis Martij nuper elapsi viam vniuersæ Carnis ingresso, & sicut de largissima Dei pietate cõfidimus, per labores ad præmia euocato, sicut aliàs vobis scripsimus, tãtique Patris, prout erat iuris, & moris, cum debito honore, & reuerentia exequijs celebratis, die 6. præsentis mensis Aprilis conclaue Palatij Apostolici, in quo Prædictus Dominus noster abierat, ne dicamus obierat, iuxta sanctiones Canonicas decreuimus introire, sed certis ex causis ad id nostrum inducẽtibus animum, huiusmodi nostrnm introitum ad diem immediatè sequentem duximus differendum, qua propter die videlicet 7. huius mensis primitus gratia Sancti Spiritus inuocata, cõclaue præfatum intrauimus de electione, & substitutione Romani Pontificis tractaturi, sequentique die Luciferi nescientis occasum (vt piè credimus) radijs illustrati circa illam diei horam qua spiritus ille paraclitus in Sanctorum Discipulorum corda descendit, ad personam Reuerendi in Christo Patris D. Bartolomei Archiepiscopi Bareñ. viri vtique magnorum meritorum claritate conspicui, & multipliciũ virtutum lampade refulgentis liberè, & vnanimiter direximus vota nostra, eum ad celsitudinis Apostolicæ speculam concorditer euocãtes, & hanc nostram euocationem, seu electionem in cõspectu maximæ variæ plebis multitudinis nunciantes. Cœterum die 9. huius mensis idem Dominus Electus coram turba fidelium copiosa super Thronum dignitatis Apostolicæ sublimatus sibi Vrbani VI. nomen assumpsit, ac die externa, qua Chri-

ſtus Ieſus Summus Pontifex vitam noſtram reſurgendo reparauit, ſicut in Romana Eccleſia conſuetudinis eſt, in Baſilica Principis Apoſtolorum de Vrbe cum ingēti tripudio, & lætitia innumerabilis Populi Christiani Pontificali Regno magnificè, & ſolemniter extitit coronatus, quæ quidem vobis ideo nuntiamus, vt ſicut obitus Memorati Domini Gregorij vobis amaritudinem, & triſtitiæ calicem propinauit, ſic de præſentis Patris conceſſione cælitus vobis, & nobis facta gaudij, & exultationis ſpiritum aſſumatis; in illo enim, cuius vices idem Dominus noſter gerit in terris, firmam ſpem, fiduciamque tenemus, quod ſub eius felici Regimine Status Romanę, & Vniuerſalis Eccleſiæ reflorebit, & orthodoxa fides felix, optatumque ſuſcipiet incrementum. Saluator Noſter Ieſus Chriſtus diu, & feliciter in ſuo ſeruitio vos perſeuerare faciat iuxta vota. Datum Romæ 19. dicti Menſis Aprilis ſub Sigillis Noſtris; Petri Portuenſis Epiſcopi, Guillelmi S. Stephani in Cœliomonte Presbyteri, & Iacobi S. Georgij ad velum aureum Diaconi Cardinalium, hìc prioritatis locum obtinētium in ordinibus antedictis.

PETRVS Portuenſis, & S. Rufinæ, } Epiſcopi.
IOANNES Prępeſtinus,
GVILLELMVS S. Stephani in Cœliomonte.
FRANCISCVS S. Sabinæ.
BERTRANDVS S. Cæciliæ.
SYMON SS. Ioannis, & Pauli.
HVGO SS. Quatuor Coronatorum.
GVIDO S. Crucis in Hieruſalem.

PETRVS

PETRVS S. Laurentij in Lucinā, Presbyter.
GERALDVS S. Clementis, Presbyter.
IACOBVS S. Georgij ad velum aureum, Diaconus.
PETRVS Sancti Eustachij, Diaconus.
GVILLELMVS Sancti Angeli, Diaconus.
PETRVS S. Mariæ in via lata, Diaconus.
PETRVS S. Mariæ in Cosmedin, Diaconus.
Sanctæ Romanæ Ecclesię Cardinales.
Præter suprascriptos interfuit electioni Robertus Tituli XII. Apostolorum, Presbyter; postea Clemens VII. sed non subscripsit.

Cardinales Auenione viuentes tempore electionis Vrbani VI.

ANGLICVS Grimoaldi, Episcopus Albaneñ.
AEGIDIVS Iselnij, Episcopus Tusculanus.
IOANNES de Blansaco, Episcopus Sabineñ.
PETRVS Sanctæ Anastasiæ, Presbyter, dictus Pampiloneñ.
GVILLELMVS Tituli Sancti Vitalis, Presbyter, vulgo Mimateñ.
HVGO de Sancto Martiali, Diaconus Sanctæ Mariæ in Porticu.
At IOANNES, Tituli Sancti Marcelli, Presbyter, dictus Ambianeñ. tempore electionis erat in Italia in Ciuitate Corneti.

CREATIONES CARDINALIVM.

Romæ apud S. Mariam in Transtyberim Die 28. Septembris, Anno 1378.

VRBANVS VI. viginti nouem Viros Ecclesiasticos, & Sæculares, ac Religiosos per diuersa Mundi Regna existentes vnico contextu in Cardinales assumpsit,& nominauit, & creauit; nonnulli ex eis magnæ honestatis, & scientiæ Viri in timore Domini positi assensum huiusmodi assumptioni, nominationi, seù Creationi non præbuerunt, nonnulli consenserunt *(vt loquitur Clemens Septimus pseudo Pontifex)* & hi, qui consenserunt, sunt.

THOMASINVS de Frignano, seu Firignano ex Generali Ordinis Minorum Patriarcha Gradensis, Tituli SS. Nerei, & Achillei Presbyter. Decessit Romæ Anno 1381. *Ex ipsius Tumulo.*

PILEVS de Prata, Archiepiscopus Rauennas, Presbyter, Tituli Sanctę Praxedis,postea Episcopus Tusculanus, recessit ab Vrbano, qui eum dignitate Cardinalatus priuauit die 23. Nouembris anno 1387. secutus est Clementem VII. a quo dignitatem iterum est assecutus, postea adhæsit Bonifatio IX. qui illum Die 13. Februarij 1391. vti Cardinalem recepit in publico,& priuato Consistorio.

FRANCISCVS Archiepiscopus Pisanus, Episcopus Prænestinus, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vice-Cancellarius.

Decessit

Deceſſit die Veneris 6. Februarij anno 1394.

LVCAS de Gentilibus, Epiſcopus Camerinenſis, poſtea Nucerinus, in Vrbe Vicarius Gregorij XI. Presbyter Tituli Sancti Sixti, traditur a Ciaccono obijſſe poſt Annum 1388. certum eſt deceſſiſſe inter Annum 1397. & diem ſecundum Auguſti 1391. *Ex Libro Diuiſionum* Bonifatij IX.

ANDREAS Epiſcopus Peruſinus, Presbyter, Tituli Sancti Marcellini, & Petri. Obijt die 16. Iulij 1390.

FR. BONAVENTVRA de Padua, Generalis Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini, Presbyter, Tituli Sanctæ Ceciliæ, ſagitta confoſſus occubuiſſe fertur anno 1389. hic a Ciaccono ponitur creatus anno 1384. ſed labitur, ſubſcripſit vti Cardinalis conceſſioni de Regno Siciliæ factę Carolo Regi per Vrbanum VI. anno 1381 die prima Iunij, & Clemens VII. anno primo, & ſecundo Septembris 1378. & 1379. cum appellat Cardinalem Vrbani.

FR. NICOLAVS Miſquinus, ſeu Caracciolus inquiſitor hęreticæ prauitatis in Regno Siciliæ Generalis ex Ordine Fratrnm Prædicatorum, Presbyter, Tituli Sancti Ciriaci in Thermis, ſubſcripſit præfatæ inueſtituræ. Obijt die 29. Iulij anno 1389.

PHILIPPVS Carafa, Archidiaconus Bononienſis, Presbyter, Tituli Sancti Martini in Montibus, *In Bulla Vrbani* menſe Martij anno 1392. aſſeritur iam obijſſe. Ciacconus vocat Archiepiſcopum Bononienſem, alij Epiſcopum Bolonienſem.

GALEOTTVS Tarlatus de Petramala, Diaconus Sanctæ Agathæ, qui ſubſcripſit conceſſioni de Regno Siciliæ,

recessit

recessit ab obedientia Vrbani VI. a quo dignitate priuatur; confugit ad Clementem, qui iterum in Cardinalem assumpsit: vide sub Clemente.

Contra præfatos nouem Cardinales tanquam contra occupatores dignitatis Cardinalatus, & adhærentes Bartholomeo Archiepiscopo Barensi iudicium instituit Clemens VII. pseudo Pontifex, diem dixit, & tandem declarauit anti-Cardinales, & criminis Læsæ Maiestatis reos, *Vt in Processu*. Datum, & Actum Fundis x. Kalend. Aprilis anno primo, scilicet 21. Martij 1379.

IOANNES Archiepiscopus Corfrensis Presbyter, Tituli Sanctæ Sabinæ hic iussu Vrbani in Castro Ciuitatis Nuceriæ, die 11. Ianuarij 1385. carceri mancipatus, extinctus est eodem anno mense Decembris.

PHILIPPVS Episcopus Tiburtinus ad Custodiam Conclauis pro parte Populi Romani electus Sanctæ Susannæ Presbyter. Hunc Ciacconus vocat Philippum Gezzam, qui sub Vrbano decesserit; iniunxit Vrbanus eidem Philippo, Tituli Sanctæ Sabinæ, & Poncello, Tituli Sancti Clementis, vt bona mobilia, & immobilia Ecclesiarum Castris exceptis alienarent nomine Sedis Apostolicæ, *Vt in Bulla* Datum 3. Kalend. Iunij anno 3. scilicet 30. Maij 1380.

PONCELLVS Vrsinus, Episcopus Auersanus, Presbyter, Tituli S. Clementis. Decessit die 2. Februarij 1395.

BARTHOLOMEVS Mezzauaccha Bononiensis Episcopus Reatinus, Presbyter, Tituli Sancti Marcelli, priuatur dignitate ab Vrbano VI. die 15. Octobris 1383. Hunc licet Cardinalatu priuatum aliquot Cardinales existentes in Castro Nuceriæ tractarunt de eligendo

in

in Summum Pontificem, *Vt in Chronica Regni Siciliæ*, dignitatem illi restituit Bonifatius IX. in quo vide.

RAINVLPHVS Episcopus Sistariensis Presbyter, Tituli S. Potentianæ S. R. E. Vicecancellarius, Ciacconus vocat Rainulphum de Monterueo Regentem Cancellariæ. Decessit die 15. Augusti 1382. *Ex eius Tumulo*, de cognomine fides erit apud Ciacconum: quod non fuerit simplex Regens, sed Vice Cancellarius constat ex dicta Inuestitura de Regno Siciliæ.

GENTILIS de Sangro Diaconus, Tituli Sancti Adriani die 11. Ianuarij 1385. in Castro Ciuitatis Nuceriæ captus iussu Vrbani mense Decembris eodem anno expirauit.

Præfati sex Cardinales Ioannes, Philippus, Poncellus, Bartholomeus, Rainulphus, & Gentilis subscripserunt, seù consenserunt Inuenstituræ de Regno Siciliæ, quam concessit Vrbanus Carolo Regi Hierusalẽ die prima Iunij anno 1381.

PHILIPPVS de Alenconio de Stirpe Regum Francorum genitus, Patriarcha Hierosolymitanus, postea Episcopus Sabinus, & demum Ostiensis., & Velletrensis; Obijt die 16. Augusti 1397. *Ita in Libro Obligationum* Sacri Collegij, *In Tumulo* asseritur obijsse anno 1403. Ciacconus anno 1402. hic fuit Vicarius Generalis in Prouincijs Patrimonij B. Petri in Tuscia, & Ducatus Spoletani, *Vt in Bulla* Vrbani II. Idus Iunij anno 3. scilicet 1380.

IOANNES Archiepiscopus Prageñ. Presbyter, Tituli XII. Apostolorum. Decessit mense Martij 1380. vt colligi-

ligitur ex Bullis Vrbani vi. Datis die 19. Aprilis eodem Anno.

GVILLELMVS, Tituli Sancti Eusebij, Presbyter. Obijt anno 1378. paulò post creationem ex Bulla Vrbani vj. 3. Kalendas Decembris anno primo, scilicet 29. Nouembris 1378. in qua, & in alia Bulla vocatur bo.me. Guillelmus, Tituli Sancti Eusebij. Ciacconus hunc vocat Patriarcham Hierosolymitanum, Presbyterum Sancti Stephani in Cælio Monte, & deinde Episcopum Tusculanum: sed labitur, quia Guglielmus Patriarcha Hierosolymitanus non fuit creatus Cardinalis ab Vrbano, & decessit, dum esset Patriarcha, & administrator Ecclesiæ Hydruntinæ, vt asserit Clemens vii. in Bulla data 4. Kalendas Aprilis anno 15. scilicet 29. Martii 1393. alter Guillelmus, Tituli Sancti Stephani in Cælio Monte, est Guillelmus de Agrifolio creatus ab Vrbano v. Tertius Guillelmus Tituli Sancti Stephani in Cælio Monte est Guillelmus de Altauilla, de quo infra. Quartus verò Guillelmus Episcopus Tusculanus est Guillelmus Curte, qui obiit anno 1361. Quare, quę vni tribuuntur Guillelmo per Ciacconum, sunt pluribus restituenda Guillelmis. His adde, quod tunc temporis Philippus de Alenconio erat Patriarcha Hierosolymitanus.

ELZIARIVS de Sabrano Arianeñ. Episcopus Theatinus, Presbyter Tituli Sanctæ Balbinæ. De hoc Cardinali fit mentio in *Bulla* Vrbani die 26. Ianuarij 1380. nomen, & cognomen legitur in *Bulla* Gregorij XI. in qua ipsum præficit Ecclesiæ Theatinæ nonis Septembris

bris anno 3. apud Ciacconum vocatur Eleazarus.

DEMETRIVS Episcopus Strigonienſis Presbyter, Tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum, hic nunquam receſſit ex Hungaria, & Vrbanus eidem Eccleſiam Strigonienſem, quę vacauerat ob Cardinalatum, commendat ad preces Ludouici Regis Hungariæ, *vt in Bulla*, 3. Idus Ianuarij anno 3. ſcilicet die 11. Ianuarij 1381. Ciacconus eum locat in ſecunda creatione; in qua tamen duos fuiſſe creatos in Cardinales teſtatur Theodoricus à Niem teſtis oculatus.

AGABITVS de Columna, Epiſcopus Vlixbonenſis. Tradit Ciacconus in prima editione Agabitum fuiſſe Epiſcopum Vlixbonenſem; in ſecunda aſſerit fuiſſe Epiſcopum Brixienſem, non autem Vlixbonenſem. Res ita ſe habet, Agabitus Epiſcopus Brixienſis tranſlatus fuit ad Vlixbonenſem à Gregorio XI. quo regnāte profectus eſt Nuntius in Alemaniam, & Hungariam ad Carolum Quartum Imperatorem, ac etiam ad Henricum Regem Caſtellæ, & Fernandum Regem Portugalliæ, inter quos pacem compoſuit; idem pro parte Populi Romani fuerat electus ad cuſtodiam Cōclauis poſt obitum Gregorij XI.

LVDOVICVS Diaconus, Tituli Sanctæ Mariæ Nouæ. hic iuſſu Vrbani Sexti, vna cum Galeotto Sanctæ Agathę Diacono ad Ianuas Palatij Apoſtolici profectus eſt viſurus, & interrogaturus, an aliquis pro Clemente VII. pſeudo Pontifice, cui Vrbanus diē dixerat, comparuiſſet, *vt in Bulla* 13. Kalendas Decembris anno primo, ſcilicet 19. Nouembris 1378. hic vocatur Ludouicus Capice in manuſcripto infra relato.

STEPHANVS Columna Præpositus Ecclesiæ Sancti Eudomari Morinensis diæc. Prothonotarius Apostolicus olim Nuntius ad Ducem Ianuēsem a Gregorio XI. missus pro concordia ineunda inter ipsum, & Regem Cypri, qui nonnulla ex pactis firmatis cum Ianuensi Republica impugnabat: constat hunc creatum fuisse Cardinalem ab Vrbano VI. *Ex Libris de Schismate* vbi legūtur depositiones testiū super electione Vrbani examinatorum mense Augusti anno 1379. Ego (inquit) Franciscus de Senis medicinæ doctor ibi ad Castrum Gallicani vbi iacebat infirmus D. Stephanus de Columna Prothonotarius, & tunc in Cardinalem electus. Dominus Agabitus de Columna, qui erat ibi ad visitandum D. Stephanum habens nouum, quod de Gebennis Cardinalis erat electus, dixit mihi ista verba formaliter. Doleo, quod Dominus meus Gebēnensis talem honorem assumpsit, quia est onus insopportabile sibi, & cuilibet, & non credo, quod ipse sit factus Papa, sed credo, quod sit factus caput, & director Collegij vsque ad concordiam cum Domino Nostro. Vnde verisimile est dictum Stephanum eodem anno 1378. decessisse, cum nulla in posterum ipsius mentio fiat.

GVILLELMVS Courteneius ab Herefordia Episcopus Lōdinensis, hunc fuisse tunc temporis Episcopum tradūt scriptores Anglici, illi autem fuisse delatam Cardinalatus dignitatem, eamque non suscepisse, traditur in manuscripto, quod nunc adseruatur apud Monachos Cistercienses Romæ in Monasterio Sanctæ Crucis in Hierusalem reperto, in quo adest Officium de inuē-

tione

tione Sanctæ Crucis.

IOANNES Episcopus Vercellensis, creatum fuisse Cardinalem, legitur *in Præfato manuscripto*, an se pro Cardinali gesserit, incertum est.

PETRVS de Barreria, Episcopus Aeduensis.

GVTERIVS Gometij, Episcopus Palentinus.

LEONARDVS de Liffono.

STEPHANVS Sanseuerinas, Prothonotarius Apostolicus, hi quatuor dignitatẽ Cardinalatus oblatam ab Vrbano respuerunt; seù habitam renuntiarunt; Petrus, Guterius, & Leonardus à Clemente 7. Cardinalatum sunt assecuti. Stefanus uero præsente Ioanna Regina Siciliæ rubeũ galerum deposuit, & duxit uxorem, vt legitur in *depositionibus testium* super electione Vrbani Sexti.

Ab anno 1379. ad mensem Ianuarii 1385.

Ab Vrbano Sexto factas fuisse duas promotiones Cardinalium antè diem 13. Iulij anni 1380. affirmat Clemens VII. in Bulla data Auenione sub eadem die 13 quam contra Vrbanum edidit *In Cronico Regni Siciliæ*, quod in Vaticano adseruatur, legitur die 18. Decembris anno 1384. Luceriæ Christianorũ fuisse creatos ab Vrbano decem, & octo Cardinales, sex Neapolitanos, reliquos, exteros, qui autem illi fuerint, & an omnes fuerint publicati incertum est, certum est tamen subsequentes hoc tempore fuiss e Cadinales.

Fr. ADAM de Eston Ordinis Sancti Benedicti, presb. Tituli Sanctæ Cęciliæ, die 11 Ianuarij 1385. in Castro Ciuitatis Luceriæ carceri mancipatur, à quo tandem ad preces Regis Angliæ dignitate Cardinalatus exutus liberatur. Bonifatius Nonus eidem dignitatem restituit, vbi vide. Ciacconus eum vocat Epum Londonensem, & recenset vti creatum in prima Creatione anno 1378. sed in vtroque erratum est. Guglielmus, de quo in prima creatione, tunc temporis erat Episcopus Londonensis. Adam adhuc anno 1379. die 9. Martij erat Monachus Ordinis Sancti Benedicti, & interrogatus deposuit, quæ nouerat de gestis tẽpore electionis Vrbani VI. *vt in libris de schismate*, qui sunt in Vaticano; vlterius in Inuestitura Regni Siciliæ, quam die prima Iunij 1381. Vrbanus Carolo Regi concessit, & cui Cardinales se subscripserunt, Adam non subscripsit, sed vna cum alijs, qui non erant Cardinales, recensetur vti testis, & vocatur Frater Adam de Anglia nulla facta mentione Cardinalatus, igitur non fuit creatus in prima creatione anno 1378.

BARTHOLOMEVS Archiepiscopus Ianuensis, presbyter, Tituli Sancti Laurentij in Damaso, huic Vrbanus attribuit facultatem, vt posset vni, vel pluribus concedere licentiam ducendi merces ad Terras à Soldano Babyloniæ detentas vsque ad valorem scutorum octuaginta millia, vt in Bulla 14. Martij 1382. fuit captus in Castro Luceriæ die 11. Ianuarij, & mense Decembris eiusdem anni 1385. occubuit.

VALENTINVS Episcopus Quinqueceleſiẽſis presbyter, Tituli

tuli Sanctæ Sabinæ, obijt circa mensem Iulij 1410. *Ex libro Diuisionum Sacri Collegij*, Theodoricus à Niem vocat Ludouicum libro primò de schismate cap. 17.

MARINUS de Iudice Amalphitanus, Archiepiscopus Tarentinus, & Papæ Camerarius, presbyter, Tituli Sãctæ Pudentianæ, mense Decembris anno 1385. Ianuæ cum alijs Cardinalibus excessit è vita. Hunc cum Laudulpho Maramauro, Perino Tomacello, & Thoma Vrsino Ciacconus asserit creatos fuisse mense Decembris anno 1381. At hic Marinus die 13. Februarij 1382. non erat Cardinails, vt ex Bullis eiusdem Vrbani datis Idus Februarij, & 17. Kalendas Aprilis anno IV. & Kalendis Nouembris anno quinto.

LVDOVICVS de Venetijs, Tituli Sancti Marci Presbyter, Hunc, & Bartholomeum Tituli Sancti Marcelli presbyterum, & Nicolaum Sancti Ciriaci Diaconum misit Vrbanus ad Carolum Regem Siciliæ pro arduis negotijs tractandis, vt legitur in Bulla 17. Kalend. Nouembris anno 4. scilicet die 16. Martij 1382. Luceriæ Christianorũ carceri mancipatur ab Vrbano Sexto, die 11. Ianuarij 1385. in quo pariter mense Decembris extinctus occubuit. Ciacconus vocat Ludouicum Donatum.

FRANCISCVS de Aliphia Dia conus Sancti Eustachij. Fuit Vicarius Sedis Apostolicæ in Prouincijs Campaniæ, & Maritimæ, *vt in Bulla* Vrbani Idus Aprilis anno V. scilicet 1381.

LANDVLPHVS Maramaurus electus Archiepiscopus Barensis, Diaconus Sancti Nicolai in Carcere Tulliano.

Hunc

Hunc ab Vrbano Cardinalatus dignitate priuatum, restituit Bonifatius Nonus, in quo vide. Obijt Constātiæ die 16. Octobris anno 1415.

PERINVS Tomacellus Prothonotarius Apostolicus Diaconus Sancti Georgij ad Velabrum, postea presbyter, Tituli Sanctæ Anastasiæ, & demum Summus Pontifex Bonifatius Nonus.

THOMAS Vrsinus ex Comitibus de Manupello Prothonotarius Apostolicus Diaconus Sanctæ Mariæ in Dominica. Obijt die 10. Iulij anno 1390.

GVILLELMVS de Altauilla Salernitanus Diaconus Sanctæ Mariæ in Cosmedin, postea Presbyter, Tituli Sancti Stephani in Cælio Monte vulgo Salernitanus *Ex libris Obligationum*. Obijt die Veneris 13. Iulij 1389. Ciacconus attribuit illi Titulum Sancti Eusebij, qui datus est alteri Guillelmo, de quo supra.

Die 7. Ianuarii 1389. Luceriæ Christianorum Vrbanus pronunciauit plures in Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, hi sunt.

FIDERICVS Coloniensis Archiepiscopus.

ADOLPHVS Moguntinus.

CVNO, alias Simon Treuerensis.

ARNOLDVS Leodiensis Episcopus. Hunc Arnoldum de Orne, Clemens VII. pseudo Pontifex declarauit excōmunicatum, ex quo adhærebat Vrbano, *vt in Bulla* datum 4. Idus Februarij anno septimo.

VVEN

Vvenceslavs Vratislauiensis Episcopus.

Petrvs de Rosembergh Nobilis genere, & honestæ conuersationis Presbyter de Regno Boemiæ natus, qui tamen vnanimiter post longam deliberationem inter se habitam omni ambitione semota huiusmodi Cardinalatus honorem acceptare noluerunt, ideoque Vrbanus pronunciauit multos Cardinales de Neapoli oriundos, vt loquitur Theodoricus *Libro primo de Schismate* cap. 44.

Eodem anno 1385. cum præfati Germani Præsules dignitatem recusassent, creati sunt in Castro Luceriæ Christianorum infrascripti quatuor Cardinales *vt in libro Obligationum* ab an. 1385. & *Chronicæ Regni Siciliæ* qui publicati fuerunt Ianuæ die 16. Octobris 1385.

Angelvs etiam Acciaiolus Episcopus Florentinus creatus est Luceriæ, & die 20. Nouembris 1385. Ianuæ datus est ei Titulus Sancti Laurentij in Damaso, fuit postea Episcopus Ostiensis, & Velletrensis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarius. Decessit Pisis, die vltima Maij anno 1407.

Franciscvs Carbonus filius Ioannis Carboni Episcopus Monopolitanus Presbyter, Tituli Sanctæ Susannæ Summus Pœnitentiarius. Obijt Episcopus Sabinensis die 18. Iunij 1405.

Marinvs Bulcanus Abbas, & Subdiaconus Papæ, Sanctæ Romanæ Ecclesię Camerarius, Diaconns Sanctæ Mariæ Nouæ. Obijt die Sabbathi 8. Augusti 1394. *Vt in duobus Libris Obligationum; in Tumulo* referi videtur obitus ad annum 1395. apud Ciacconum.

Rainaldvs Branchatius Abbas, & Acolytus Papæ, Diaconus

conus SS. Viti, & Modesti in Macello Martyrum. Obijt circa initium mensis Octobris an. 1427. Hunc Cardinalatu priuauit Gregorius XII. ex quo Pisas ad Concilium celebrandum profectus fuerat die 19. Ianuarij 1409. quam priuationem Concilium reuocauit sess. 16. vt etiam alibi adnotaui.

FRANCISCVS Castagnola filius Pauli de Neapoli, cui non fuit datus Titulus. Obijt Ianuæ die 15. Nouembris 1385. *Ex libro Obligationum* Ciacconus anno 1386.

Hos Ciacconus asserit creatos die 14. Decembris 1384 vnà cum alijs, quos recenset, sed Theodoricus libro 1. cap. 44. de Schismate duas videtur distinguere Cardinalium promotiones.

Post Annum 1385. Creati sunt Cardinales.

ANGELVS Palosius Episcopus Tudertinus Presbyter, Tituli Sancti Marcelli. Obijt die 24. Aprilis 1396. *Ex libris Obligationum*. Ciacconus credit ex Tumulo decessisse die 29. Aprilis 1396. asserit tamen Tumulum esse corrosum.

LVDOVICVS de Flisco Episcopus Vercellensis Diaconus Sancti Adriani sequutus est Bonifatium Nonum, & Innocentium VII. a quo desciuit, & adhæsit Petro de Luna Benedicto XIII. a quo in Cardinalium numerũ iterum fuit admissus, postmodum recessit ab eodem Benedicto, qui eum declarauit Schismaticum, & cõspiratorem contra Romanam Ecclesiam, *Vt in Bulla data Panischolæ* 16. Kalendas Maij anno 22. Decessit

die

die 3. Aprilis anno 1423.

ANGELVS de Anna de Summa ripa dictus de Laude, seu Laudensis Diaconus Sanctæ Luciæ in Septem Solijs, postea Presbyter Sanctæ Potentianæ, & Episcopus Prænestinus. Decessit die 21. Iulij 1428. *Ex Libro Diuisionum*. Ciacconus mense Aprilis anno 1431. Hic priuatur Cardinalatu a Gregorio XII. ex quo eo relicto Pisas ad Concilium profectus est, *Vt in Bulla* die 19. Ianuarij 1409. at priuationem irritam declarauit idem Concilium sess. 16.

Præter supradictos Cardinales, a Ciaccono alii recensentur scilicet.

RAIMVNDELLVS Vrsinus filius Comitis Nolani creatus anno 1384.

Nam Raimundellus de Baueio de Vrsinis filius Nicolai Comitis Nolani (sunt verba instrumenti) miles strenuissimus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Athleta Christi maximus equitum, & peditum multitudine venit in succursum Vrbani VI. qui in Castro Ciuitatis Luceriæ obsidebatur a Carolo de Duratio olim Rege Hierusalem, & Siciliæ, dissoluit obsidionem, exercitum Caroli, cui Petrus Tartari Abbas Cassinensis præerat, in fugam vertit, & Vrbanum, & Curiales ad tutum locum deduxit, ideoque Vrbanus pro Florenis tribus uiginti millibus, quos ratione expensarũ promiserat, tradidit in pignus Cœnam Benedictinam, & Gregorianam, quas Ianuæ redemit, vt in instrumento die 15. Nouembris anno 1385. Igitur Raimũdel-

lus non fuit creatus Cardinalis anno 1384. cum adhuc esset miles, nec postea; & pro milite se gerebat anno 1385.

IOANNES Carbonus Neapolitanus, ponitur a Ciaccono creatus anno 1384. At hic non fuit Cardinalis, sed Pater Francisci Carboni Cardinalis, sic enim legitur *in Chronicis Neapolitanis*, quas laudat Ciacconus.

Anno 1385. die Lunæ 16. Octobris Papa Vrbanus publicauit Cardinales Abbatem Marinellum Bulcanũ, Abbatem Rainaldum Branchatium, Episcopum Monopoli, filium D. Ioannis Carboni; filium Pauli Castagnolæ, Itaq; Frãciscus Eps Monopolitanus, cuius etiã meminit Theodoricus a Niem libro primo de Schismate, cap. 44. nominatur vti filius Ioannis Carboni, non autem asseritur, quod Franciscus Episcopus Monopolitanus, & Ioannes sint duo Cardinales, & in *Registro, & Instrumentis* Vrbani Sexti, Franciscus Carbonus Episcopus Monopolitanus inter Cardinales recensetur, non autem Ioannes.

IOANNES Stephanescus Diaconus Sancti Georgij in Velabro, postea Presbyter Sanctæ Ceciliæ, hunc Ciacconus locat in quarta creatione anno 1384. & mouetur ad affirmandum illum fuisse creatum Cardinalem, quia insignia de Stephaneschis sunt picta in Ecclesia Sancti Georgij, & Sanctæ Ceciliæ. De hoc nulla fit mentio in registris, aut libris Sacri Collegij Cardinalium, aut in probatis auctoribus. Ex insignibus verò depictis in Ecclesijs Sancti Georgij, & Sanctæ Ceciliæ argui non potest Ioannem fuisse creatum Cardinalem ab Vrbano Sexto, cum nomen in insignibus

non

non legatur, & illa possint attribui Petro Cardinali pariter de Stephaneschis, qui ab Innocentio Septimo fuit creatus.

IVLIVS Cossus creditur creatus ab Vrbano, Presbyter, Tituli Sanctæ Mariæ Transpontinæ, sed quo die, & anno incertum; id probat Ciacc. ex clipeo gentilitio picto in antiqua eius domo cum insigni Cardinalatus, & ex tumulo in Ecclesia Sanctæ Mariæ, quem author affirmat se aliquando vidisse. De hoc nihil reperio in Registris Pontificum, vel libris Sacri Collegij Cardinalium, aut in probatis Auctoribus; fides erit penes Ciacconum, qui ex inscriptione tumuli, quam refert, nec tempus creationis, nec à quo Pontifice creatus fuerit docere potest, vltra quod, si rectè nemini, Titulus Sanctæ Mariæ Transpontinæ tunc temporis non erat erectus.

IOANNES de Piccolbassis Bononiensis, asseritur fuisse Episcopus Ostiensis, & decessisse anno 1383. ex quadam inscriptione in tumulo, quam recenset additio ad Ciacconum. Vrbanus Sextus, paulò post suam assumptionem ad Summum Pontificatum anno 1378. promouit ad Ecclesiam Ostiensem Bernardum Lagerij Cardinalem Glandaceñ. Tituli Sanctæ Cæciliæ, qui obijt die 8. Nouembris 1392. eique subrogauit Philippum de Alenconio tunc Episcopum Ecclesiæ Sabineñ.

Rursus Clemens Septimus post obitum Glandacensis creauit in Episcopum Ostiensem Ioannem de Nouo castro, tunc Sanctorum Quatuor Coronatorum, Pres-

byterum Cardinalem, quare non intelligo, quis ſit iſte Ioannes de Piccolbaſſis, cuius non eſt memoria in Regiſtris Pontificiis, aut libris Sacri Collegii. Vnde etiam de inſcriptione ſepulchrali dubitare licet præſertim cum alias plures Cardinales Bononienſes ex arbitrio fuerint euulgati. Poſt hæc ſcripta additionis author, qui inſcriptionem ex hiſtoria impreſſa Nicolai Alidoſij deſumpſerat, retulit ſe tumulum inſpexiſſe, in eoque legi, Ioannes Epiſcopus Oſtunenſis, non autem Oſtienſis, ideoque de albo Cardinalium eſſe delendum.

THOMAS Presbyter Cardinalis, Tit. Sancti Petri ad Vincula; ex Ordine Sancti Dominici in additione recenſetur. nulla huius Cardinalis extat memoria in libris Vrbani Sexti, vel Clementis Septimi, aut Sacri Collegij Cardinalium, aut probatis auctoribus; fides erit penes Ciacconum, niſi ſit Thomas de Caſaſto ex Ordine Sancti Dominici à Clemente Septimo creatus anno 1382.

PETRVS de Tartaris inter Cardinales à Gregorio Vndecimo creatos recenſetur vltimo loco, qui etiam Cardinalis Reatinus appellatur à Ciacconio in eodem Gregorio. Hunc ab Vrbano Sexto Cardinalatus dignitate priuatum anno 1384. ac à Bonifatio nono reſtitutum aſſerit idem Ciacconius etiã in Vrbano VI. At erraſſe Scriptores, qui Petrum de Tartaris inter Cardinales enumerant ex ſequentibus apparebit.

PETRVS die 2. Nouembris anno 1375. à Monaſterio S. Laurentii extra muros Vrbis translatus eſt ad Monaſterium Caſſinenſe, vt *in bulla* Gregorij Vndecimi.

Sede

Sede vacante per obitum eiusdem Gregorij Petrus Abbas montis Caſſini egit cum officialibus Populi Romani, vt laborarent quo ipſe aſſumeretur in Papam, vt deponit Ioannes Lemoſinus Canonicus Eccleſiæ Vaſateñ. teſtis in cauſa ſchiſmatis.

CLEMENS Septimus Pſeudopontifex nonnullos Cardinales, & Epiſcopos, & Petrum Caſſinenſem Abbatem adhærentes Vrbano Sexto dignitate Abbatiali priuatum declarat ex *Bulla* data Fundis, 10. Kalendas Aprilis anno primo ſui Antipõtificatus, ſcilicet anno 1379.

VRBANVS Sextus die 2. Maij 1379. ſcribit Petro, vti Abbati Monaſterij Caſſinenſis, eique concedit facultatem procedendi contra Clementem Septimum, eique adhærentes, vt in *Bulla* eiuſdem Vrbani, quo poſtea relicto confugit ad Clementem.

Die 15. Ianuarii 1385. Petrus vti Abbas Caſſinenſis fuit declaratus excommunicatus ab Vrbano Sexto, commorante in Caſtro Luceriæ *ex Chronica Regni Siciliæ*, quæ adſeruatur in Vaticano.

Die 7. Iulij 1385. Petrus Abbas Caſſinenſis ab obſidione Caſtri Lucerię coactus aufugit, vt legitur in eadem *Chronica*, & concordat Theodorus à Niem de ſchiſmate lib. 1. cap. 54.

Idem Vrbanus declarauit Schiſmaticum eumdem Petrum Abbatem 4. Idus Octobris anno 1387. vt in *Bulla* eiuſdem anno 10.

In Inſtrumentis Ianuæ celebratis anno 1385. menſe Octobris coram Vrbano Sexto, aliquot Cardinales iureiurando pollicẽtur ſe non adhæſuros Clementi Septimi, nec Cardinalibus, qui enumerantur, neque Pe-

tro Tartaro Abbati Cassinensi; idemque promittunt Ioannem, & Poncellus fratres & filij q. Francisci de Vrsinis, die 24. Nouembris 1388. Decessit existens Abbas Cassinensis anno 1395. authore Marco Antonio Scipione in elogiis Abbatum Cassinensium. Quare cum Petrus Tartarus Sede vacante per obitum Gregorij Vndecimi; & anno 1379. adhuc esset Abbas, & ab Vrbano Sexto, & Clemente Septimo vocetur Abbas in bullis, & instrumētis, quibus idem Petrus Abbatiali dignitate priuatur, & obierit dum adhuc esset Abbas non video, quo tempore in Cardinalium numerum adscriptus esse potuerit.

De alijs tribus Cardinalibus scilicet Episcopo Vrgelleñ. Episcopo de Seme, & Episcopo de Edena, de quibus loquitur Ciacconius num. 8. 9. & 19. nihil reperi in publicis documentis, quod in medium possit afferri.

BONIFA-

Petrus, seu Perinus Tomacellus Neapolitanus, Presbyter Cardinalis, Tituli Sanctæ Anastasiæ, Die Martis, 2. Nouembris anno 1389. Romæ creatur. Die xij, eiusdem ante Basilicam Sancti Petri coronationis insignia suscepit. Die Mercurij, prima Octobris hora 21. Indict. 12. anno 1404. Romæ migrauit ad Dominum.

In Libro Sacri Collegij Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, in quo obligationes Episcoporum, &c. pro communibus seruitijs soluendis adnotantur electio Bonifacij Noni sequentibus verbis describitur.

Die Lunæ 25. Octobris anno 1389. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales intrauerunt Conclaue factum in maiori Capella Apostolici Palatii pro Pontifece eligendo. videlicet.

FRANCISCVS Episcopus Prænestinus S.R.E. Vicecancellarius, vulgariter dictus Pisanus.

PONCELLVS Sancti Clementis, Presbyter, dictus de Vrsinis.

STEPHANVS Sancti Marcelli, dictus Tudertinus.

AN-

ANGELVS, Sancti Laurentij in Damaso, dictus Florentinus.

FRANCISCVS S. Susannæ, dictus Monopolitanus, Presb.

PERINVS Sanctæ Anastasiæ, dictus Neapolitanus, Presbyter.

THOMAS Sanctæ Mariæ in Dominica, dictus de Manu pello.

MARINVS Sanctæ Mariæ Nouæ, dictus Bulcanus.

LVDOVICVS Sancti Adriani, dictus de Flisco.

FRANCISCVS Sancti Eustachij, dictus de Alisia.

RAINALDVS Sancti Viti ad macellum, dictus de Branchatijs.

ANGELVS Sanctæ Luciæ in Septemsolijs, dictus de Laudo.

Die Mercurij, 27. Octobris, hora Vesperorum, Andreas Sanctorum Petri, & Marcellini, Presbyter Cardinalis, dictus Perusinus, rediens de Prouincia Marchię Anconitanæ, in qua pluribus annis Vicarius remanserat, visitata Basilica Sancti Petri. reperiens rem integram, fecit aperiri conclaue, & intrauit.

Die Martis, 2. Nouembris 1389. Cardinales omnibus seruatis vnanimiter, concorditer, eorum nemine discrepante, antedictum Perinum Cardinalem Neapolitanum in Summum Pontificem elegerunt. qui statim sibi nomen imposuit Bonifatij Noni.

Die Martis, 9. Nouembris Bonifatius Nonus in Basilica Principis Apostolorum de Vrbe fuit consecratus, & in mane super scalis dictæ Basilicæ in alto paramento ligni ibidem constructo, & honorificè

ornato

ornato fuit coronatus, & immediate more ſolito equitauit cum Cardinalibus, & Prælatis, & infinitis alijs gentibus ad Eccleſiam Sancti Ioannis Lateranenſis, & eadem die reuerſus eſt ad Apoſtolicum Palatium.

Creationes Cardinalium.

PRIMA CREATIO

Ex Libris Obligationum.

Die Sabathi, 18. Decembris anno 1389 Romæ Bonifatius Nonus creauit in Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales infraſcriptos, qui ſunt.

HENRICVS de Minutulis Archiepiſcopus Neapolitanus, Presbyter, Tituli Sanctæ Anaſtaſiæ, translatus ad Eccleſiam Tuſculanam. Obijt Epiſcopus Sabinus, die Veneris 17. Iunii 1412.

BARTHOLOMAEVS de Vliarijs Patauinus, Epiſcopus Florentinus, ex Ordine Minorum, Presbyter, Tituli Sanctæ Pudentianæ: Caietæ deceſſit die 16. Aprilis 1396.

COSMATVS de Melioratis, Epiſcopus Bononienſis, & Adminiſtrator Eccleſiæ Rauennatenſis, Presbyter, Tituli Sanctæ Crucis in Hieruſalem, poſtea Innocentius Septimus.

CHRI-

CHRISTOPHORVS de Maronibus, Episcopus Isernienſis, Archipresbyter Sancti Petri, Presbyter, Tituli Sancti Ciriaci in Thermis. Obijt Romæ, die 4. Decembris 1404.

Reſtituit ad dignitatem Cardinalatus.

ADAM Anglum, Epiſcopum Londonieñ. cum eodem Titulo Sanctæ Ceciliæ, qui die 20. Septembris anno 1397. obijt.

BARTHOLOMAEVM de Mezzauacchis Bononienſem, Epiſcopum Reatinum, Presbyterum, Tituli Sancti Martini in Montibus, qui obijt die 29. Iulij 1396.

LANDVLPHVM de Maramauris, electum Archiepiſcopũ Barenſem, Diaconum, Sancti Nicolai in Carcere Tulliano. Deceſſit Conſtantiæ, die 16. Octobris 1415.

SECVNDA CREATIO.

Die Lunæ 13, Februarii 1391.

Ex Libro Obligationum.

Creauit vnicum Presbyterum Cardinalem, ſeu potius ad Cardinalatum reſtituit in priuato, & publico Conſiſtorio, qui eſt.

PILEVS de Prata, Archiepiſcopus Rauennas. Obijt Epiſcopus Tuſculanus, anno 1400. teſte Rubeo in *Hiſto.*

Historia Rauennate. Ciacconus refert obitum ad annum 1398. & alibi ad annum 1401.

TERTIA CREATIO

Die 27. Februarii anno 1402.

Romæ, *Vt in Libro Diuisionum* Creati sunt.

ANTONIVS Caietanus Romanus Patriarcha Aquileiensis Presbyter, Tituli Sanctæ Ceciliæ, deinde Episcopus Prænestinus. Obijt Episcopus Portuensis Romæ die 11. Ianuarij 1412.

BALTHASAR Cossa Neapolitanus Archidiaconus Bononiensis, & Papæ Cubicularius. Diaconus Sancti Eustachij, postea Ioannes XXIII. & postremo Episcopus Tusculanus. Decessit Florentiæ 22. Decembris 1419.

In prima Creatione Ciacconus omittit restitutionem Adami Angli; vlterius asserit Petrum de Tartaris Abbatem Montis Casini fuisse restitutum ad Cardinalatus dignitatem, quam tamen nunquam obtinuit, vt ostensum est in Gregorio XI.

In secunda Creatione refert Pilei de Prata, & Philippi de Alenconio restitutionem ad Cardinalatum. At Philippum Cardinalatu priuatum non legi: vnde id hauserit, incertum est.

In tertia Creatione vltra Antonium Caietanum, & Balthasarem Cossam recenset Leonardum Cibo SS. Cosmę, & Damiani, & Angelum Cibo, Tituli S. Marti-

ni in Montibus Diaconos Cardinales nullo dato Authore. *In Bullis Summorum Pontificum, & Libris Sacri Collegij* nulla Leonardi, aut Angeli extat memoria: quod si fuissent Creati Cardinales, Amanuensis Sacri Collegij eos retulisset in Album, prout retulit Antonium Caietanum, & Balthasarem Cossam: fides erit penes Cacconum, qui nullam alibi de illis mentionem facit.

ANTONIVS Caietanus Episcopus Prænestinus. Henricus Minutulus Episcopus Tusculanus. Balthasar Cossa Sancti Eustachij Diaconus. Landulphus Sancti Nicolai in Carcere Tulliano Diaconus, Cardinales, relicto Gregorio XII. Pisas abierunt, Concilium pro vnione Ecclesiæ celebraturi. Vnde Gregorius eos monuit, vt Lucam redirent, & tandem, quia non parebant semel ac pluries, eos Schismaticos, & periuros, ac Cardinalatu priuatos declarauit in Bulla datum Arimini die 19. Ianuarij 1409. quam tamen declarationem, & priuationẽ Concilium Pisanũ sess. 19. irritam pronuntiauit.

INNO-

INNOCENTIVS VII.

Cosmatus Clelioratus Sulmonensis Presb. Cardinalis Tituli Sanctæ Crucis in Hierusalem die Veneris 17. Octobris hora 21. anno 1404. Romæ Creatur. Die 2. Nouembris ad gradus Basilicæ Sancti Petri Coronatur. Die Sabathi 6. Nouembris hora 20. anno 1406. Romæ migrauit ad Dominum.

Ex Libro Sacri Collegii *Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, in quo Communia seruitia promissa, & diuisa describuntur.*

Romæ die Mercurii prima Octobris hora XXI. anno 1404. Obiit Bonifatius Nonus, & Die Dominico de sero XII. Octobris eiusdem Cardinales intrarunt Conclaue apud Sanctum Petrum numero nouem, videlicet.

Florentinus ANGELVS Acciaiolus Episcopus Ostiensis.
Monopolitanus FRANCISCVS Episcopus Sabinensis.
Neapolitanus HENRICVS Episcopus Tusculanus de Minutolis.
Aquileien. ANTONIVS Caietanus Sanctæ Ceciliæ.

COSMATVS de Melioratis Sulmonensis Cardinalis Bononiensis, Tituli Sanctæ Crucis.

ANGELVS Neapolitanus de Summa ripa Sanctæ Pudentianæ Cardinalis Laudensis.

CHRISTOPHORVS de Maronibus Romanus Sancti Ciriaci Cardinalis Iserniensis.

RAINALDVS de Branchacijs Neapolitanus Sancti Viti in Macello Diaconus.

LANDVLPHVS de Maramauris Neapolitanus Sancti Nicolai in Carcere Tulliano dictus Barensis.

BALTHASAR Cossa erat abiẽs in sua Legatione Bononien.

VALENTINVS Cardinalis Quinqueccleſiensis in Hungaria qui 1407. venit ad Curiam.

Die Veneris 17. Octobris hora 21. Dominus Cosmatus Sanctę Crucis in Hierusalem Cardinalis Bononiensis eligitur in Summum Pontificem nomine Innocentius VII. qua hora electionis pluit fortiter, nec antea per quatuor menses, nec post per vnum mensem vnquam pluit.

Die Martis, quæ fuit festiuitas Sancti Martini 11. Nouẽbris 1404. Innocentius VII. Coronatur Romæ in gradibus Sancti Petri, cum omnibus solemnitatibus, & demum subtracto thalamo per Canonicos Sancti Petri accessit ad S. Ioannem Lateranensem, & factis cum ordine Cæremonijs, cum magna lætitia reuersus est ad Palatium Sancti Petri.

INNOCENTIVS SERVVS &c.



ENERABILI Fratri Archiepiſcopo Mediolanenſi, eiuſque ſuffraganeis, & dilectis filijs electis Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Archidiaconis, & alijs Eccleſiarum Prælatis, eorumque Capituli s, Conuentionibus, atque Collegijs vniuerſis tam exemptis, quàm non exemptis per Mediolanenſẽ Prouinciam conſtitutis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cœleſtis altitudo potentiæ ſupra cuncta tenens in excelſis Imperium, ſic dat eſſe rebus, & diſpenſat ineffabili prouidentia munera gratiarum, ſic etiam creaturarum conditiones, & ſtatus ordinat, prout vult, variat, & diſponit, quod in horum conſideratione ſenſus hominis hebetatur, cum ſint inueſtigabiles viæ Domini, & Sapientiæ ſuæ magnitudinem humani non capiant intellectus, facit enim fortem ex debili, balbutiẽtibus eloquentiam tribuit, & ponit nonnunquam humiles in ſublimi, plenam, & perfectam habens ad ſingula quaſi palma concludens omnia poteſtatem; ſanè fœl. rec. Bonifatio Papæ Nono Noſtro immediato Predeceſſore Kal. præteriti menſis Octobris ad ſupernam patriam de præſentis Valle miſeriæ reuocato; Venerabiles Fratres Noſtri Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, de quorum numero tunc eramus, pro futuri ſubſtitutione Paſtoris conuenientes in vnum ſub deliberationis ſcrutinio, quá tantarum rerum ſublimitas exigebat, aliquandiu mor

ſuper

ſuper electionis celebratione protracta, licet potuiſſent in alios conſentire maiorum meritorum claritate conſpicuos, & plurium virtutum titulis inſignitos ad tantæ administrationis præcellentiam digniores, tamen ad perſonam noſtram dirigentes vnanimiter vota ſua. Nos tunc Tituli Sanctæ Crucis in Hieruſalem Presbyterum Cardinalem ad Celſitudinis Apoſtolicæ ſpeculum, ſicut Domino placuit 16. Kalend. Nouembris concorditer euocarunt. Porrò imbecillitate noſtra, & adminiſtrationis tàm arduę ſarcina, tantique oneris grauitate intenta conſideratione penſatis, quodam nimirum ſtupore demiſſi diuerſarum cogitationum fluctibus intra pręcordia vexabamur, quid inter tot diuerſas, & varias huius ſæculi pugnas agendum, quid tenendum, quidue penſandum exiſteret, animo trepido cogitantes, iam tandem vero virtutem ſpiritus reſumentes in illo, qui exurgit in occurſũ timentium, & implorantium ſuum, & ſub eius alarum velamento quiſque protegitur, ſuſcepimus iugum Apoſtolicæ ſeruitutis ſub Altiſſimi fiducia deferendum, ne videretur nobis oneroſum, vel graue, quod ſuperni Cõſilij decreuerat Altitudo. Cœterum hæc vobis ſcribere ſicut deuotis, & peculiaribus Eccleſiæ filijs in deſiderijs habebamus, vt qui ſemper eiuſdem Eccleſiæ gratiam deuotionis integritate, obſequiorum promptitudine, ac puritate fidei meruiſtis, a nobis paternæ beneuolentiæ ſentiatis affectum, & de noſtra in Domino promotione lætantes, quod habent in Patre benigno filij reperiatis in nobis, & veſtris meritis de virtute creſcentibus in virtutem illa maioribus compẽſare præmijs inducamur. Poſtremò autem volumus veſtram deuotionem non latere,

tere, quod ad extirpationem huius pestiferi Schismatis, quod tantis retroactis temporibus vnitatem Ecclesiæ lacerauit, & proh dolor lacerat, & in præsenti suprema, & incommutabilis nostra versatur intentio, & ad hoc tãto animi feruore flagramus, vt leuatis ad Cœlum manibus, & oculis erectis ad eum, qui post nubila dat serenum, cõtinua deuotione in feruore spiritus postulemus, quod ex dono suæ largissimæ pietatis indulgeat nostris temporibus præfatum Schisma pestiferum extirpari, vt Sacro-Sancta Mater Ecclesia tantis huius procellosi Maris agitata turbinibus iam tandem pulchra veluti rutilans Aurora consurgat, eisque post vespertinos fletus lætitia matutina succedat, & rursus exinde proueniat quies Regnis, pax Ecclesijs, concordia plebibus, & moribus disciplina, & vt præmissa diuina cooperante clementia perduci valeant consultius ad effectum, fidelium, quos præsens tangit negociũ super extirpatione huiusmodi Schismatis, ac vijs, modis & formis congruentibus, ac iustis cupimus audire consilia, ad quæ exhibenda fideles ipsos adueniendum, seu dirigendum ad nostram præsentiam personas tanto negociò congruentes quamprimum ante vel vsque ad festum Omnium Sanctorum proximè futurum se facultas obtulerit, paternis affectibus excitamus, ac in eo, cuius res agitur, attentè requirimus, & hortamur pro votiua conclusione tam desiderabilis vnionis, super quibus Dilectis filijs Nobilibus Viris A. Militi Capuañ nec non Magistro S. de Perusio legum Doctori Nostri Consistorij Aduocato præsentium latoribus, nostrisque Nuntijs de incommutabilis intentionis nostræ proposito circa extirpationem huiusmodi Schismatis, & circa com-

moda

moda vestra pariter, & honores plenius informatis adhibere velitis credentiæ plenam fidem. Datum &c.

VNICA CARDINALIVM CREATIO.

Die Veneris XI. Iunii Anno 1405. Romæ apud Sanctum Petrum creauit infrascriptos Cardinales, quos die sequenti in publico Consistorio publicauit, hi sunt.

CONRADVS Caracciolus Papę Camerarius Tituli Sancti Chrysogoni Presbyter. Obijt die 25. Februarij anno 1411. *Ex Diario sacri Collegij*.

ANGELVS Corarius Patriarcha Cōstantinopolitanus, Tituli Sancti Marci Presbyter, postea Gregorius XII. abdicauit in Concilio Constātiensi die 4. Iulij 1415. moritur Cardinalis legatus in Marchia Anconitana, paulo ante creationem Martini anno 1417.

FRANCISCVS Archiepiscopus Burdigalensis, Tituli Sanctorum quatuor Coronatorum Presbyter. Obijt die 14. Iulij 1412.

IORDANVS de Vrsinis Archiepiscopus Neapolitanus, Tituli Sancti Martini in Montibus Presbyter translatus ad Titulum Sancti Laurentij in Damaso, & Ecclesiam Albaneñ. Decessit Eps Sabineñ. die 29. Maij 1439.

IOANNES

IOANNES Meglioratus Archiepiſcopus Rauennaceñ Papæ nepos, Tituli Sanctæ Crucis, Presbyter. Deceſſit die 16. Octobris 1410.

PETRVS de Candia Archiepiſcopus Mediolanenſis, Tituli Duodecim Apoſtolorum, Presbyter, poſtea Alexander Quintus.

ANTONIVS de Arcionibus Epiſcopus Eſculanus, Tituli Sancti Petri ad Vincula, Presbyter. Obijt die 21. Iulij 1405. *Ex libro Obligationum, & tumulo*, in manuſcriptis. Ciacconus die 26. Iulij, ex eodem tumulo, quem corroſum aſſerit.

ANTONIVS de Caluis Epiſcopus Tudertinus, Tituli Sanctæ Praxedis, à qua translatus eſt ad Eccleſiam Sancti Marci. Obijt die 2. Octobris 1411. hic ſolus cum Gregorio Duodecimo permanſit, cum omnes Cardinales, eo relicto, Piſis conuenerunt celebraturi Cõcilium, ad quod tandem etiam ipſe peruenit, vt in ſeſſ. 16. eiuſdem Concilij.

ODDO de Columna, Prothonotarius Apoſtolicus, Tituli Sancti Georgij ad Velum aureum, Diaconus; poſtea Martinus Quintus.

PETRVS de Stephaneſchis Prothonotarius Apoſtolicus, Tituli Sancti Angeli in Foro piſcium, Diaconus. Obijt Diaconus Sanctorum Coſmæ, & Damiani, die vltima Octobris 1417.

IOANNES Aegidij Præpoſitus Leodienſis, Sanctorum Coſmæ, & Damiani Diaconus. Obijt Piſis Menſe Iulij anno 1407. hic, dum ſchiſma vigeret, ſuadebat vnionem, quod ægre ferens Gregorius Duodecimus, illum in odio habuit; ideoque receſſit à Gregorio,

S qui

qui ad se viuum, vel in frusta discerptum duci præcepit, & quia detineri non potuit, Cardinalitia dignitate priuauit anno secundo.

Idem Gregorius Conradum S. Grysogoni Presbyterum Meliteñ. nuncupatum, Franciscum Sanctorum Quatuor Coronatorum Burdigaleñ. Presb. Iordanum San. Martini in Montibus de Vrsinis Presb. Odoneñ. Sancti Georgij ad Velabrũ de Columna Diaconum, Petrum Sancti Angeli Diaconum, Cardinales, monuit die 12. Iulij anno 1408. vt Lucam redirent de negotio vnionis tractaturi sub pœna priuationis Cardinalatus: eosdem, ac vlterius Petrum de Candia Basilicæ xij. Apostolorum Presbyterum Mediolaneñ. & Ioannem Sanctæ Crucis in Hierusalem Recanateñ. monet ad comparendum Lucæ, & ad videndum declarari illos esse priuatos omni dignitate, & de nouo priuandos, vt in alia bulla die 14. Decẽbris anno octauo, & deinde omnes præfatos declarauit Schismaticos, periuros, & omni dignitate etiam Cardinalatus priuauit, in bulla data Arimini die 19. Ianuarij. 1409. At Concilium Pisis celebratum omnes censuras, pœnas, ac priuationes promulgatas, & factas à Petro de Luna, ac Angelo Corario Gregorio xij. nuncupato a die tertia Maij. 1408. nullas, & irritas declarauit in sess. xvij.

GRE-

GREGORIVS XII.

Angelus Corarius Venetus, Presbyter Cardinalis Tituli Sancti Marci, Romæ die vltima Nouembris anno 1406. in Summum Pontificem eligitur, die 19. Decembris supra gradus Sācti Petri coronatur. Cessit Pontificatui, die 4. Iulij 1415. in Concilio Constantiensi.

Ex Libro Sacri Collegii *Sāctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, in quo Obligationes Episcoporum &c. de communibus seruitijs persoluendis describuntur.*

Die 18. Nouembris anno 1406. Indic. 14. completis exequijs Innocentij VII. & Celebrata solemniter Missa Spiritus Sancti, Cardinales infrascripti videlicet.

Florentinus.
Neapolitanus.
Aquileiensis.
Laudensis.
Melitensis.
Costantinopolitanus.
De Vrsinis.
Rauennatensis.

 Tudertinus

Tudertinus.
De Branchatijs.
Barensis.
De Columna.
Sancti Angeli.
Leodiensis.

Exceptis Burdigalensi, Mediolanensi, & Sancti Eustachij, qui erant absentes, intrauerunt Conclaue hora xxiv.

Die vltima Nouembris Angelus Sãcti Marci Presbyter Cardinalis Constantinopolitanus fuit electus in summum Pontificem, & nominatus Gregorius xij. & Prima die Decembris, vt est moris, fuit toti Populo intronizatus, & publicatus, & deinde descendit ad altare Sancti Petri.

Die xix. Decembris Gregorius xij. celebrata solemniter missa per eum in Sancto Petro, & seruatis omnibus cęremonijs in thalamo publico super scalis Sancti Petri coronatus est per manus Cardinalis de Branchacijs Prioris Diaconorum, præsentibus Cardinalibus xij. videlicet, Florentino, Neapolitano, Aquileiensi, Laudensi, Melitensi, Vrsino, Rauennatensi, Tudertino, Branchatijs, Columna, Sancti Angeli, Leodiensi, & postea ad Ecclesiam Lateranẽsem cum omnibus honorificè processit, & seruatis seruandis redijt ad Palatium Sancti Petri prope horam xxiv. modo simili sociatus.

Iuramen-

IVRAMENTVM
Cardinalium,

in electione

GREGORII DVODECIMI.

IN Nomine Sanctæ, & indiuiduę Trinitatis, Anno à Natiuitate Domini Nostri Iesu Christi Millesimo Quadringentesimo Sexto. Indictione decimaquarta, Die Martis, 23. Mensis Nouembris, in die Sancti Clementis, Apostolica Sede Vacante, per obitum fœl. rec. D. Innocentij Papæ Septimi, congregati, & adinuicem collegialiter coadunati pro futura Electione Summi Pontificis celebranda infrascripti Reuerendissimi in Christo Patres, & Domini, Domini Angelus Hostieñ. dictus Florentinus: Henricus Tusculanus, dictus Neapolitanus: Antonius Penestrinus, dictus Aquilegieñ. Episcopi: Angelus Tit. Sanctæ Potentianæ, dictus Laudeñ: Conradus Tit. Sancti Chrysogoni, dictus Meliteñ: Angelus Tituli Sancti Marci, dictus Constantinopolitanus: Iordanus Tituli Sancti Martini in Montibus, dictus de Vrsinis: Ioannes, Tituli Sanctæ Crucis in Hierusalem, dictus Rauennateñ.: Antonius, Tituli Sanctæ Praxedis, dictus Tudertinus Presbyteri: Raynaldus, Tit. Sancti Viti in Macello de Brancacijs: Laudulphus Sancti Nicolai in Carcere Tulliano, dictus Bareñ. Oddo Sancti Georgij ad Velum aureum, dictus de Columna: Petrus Sancti Angeli, dictus S. Angeli: & Ioannes Sanctorum

Cosmæ,

Cosmæ, & Damiani, dictus Leodieñ, Diaconi Sacrosan-ctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales in communi Cappella Sancti Nicolai Sacri Palatij Apostolici Romæ apud Sanctum Petrum intra Conclaue consuetum, quam pro loco ad infrascripta idoneo elegerunt, ac etiam disputauerunt in presentia mei Stephani de Prato, Sacri Collegij Clerici, & aliorum Notariorum, & testium infrascriptorum. Considerantes Christianæ Religionis infamiã, detrimenta, & graues fidelium molestias, ac pericula, quæ hactenus emerserunt, & emergere verisimiliter est censendum, nisi salubriori remedio, ac in tempore diuina fauente clementia, cuius res agitur, occurratur, ex pestifero, & damnabili schismate, quod tantis (proh dolor) temporibus in scissuram Christianæ fidelitatis grauissimè perdurauit, & durat, nec piam prouisionem aliàs pro eiusdem schismatis remotione per eos factam effectum aliquem produxisse, ac intendentes ad remedia fortiora non quid iuris pro parte eorum iustitia suadet, quòd ius verissimum est, & plena veritate fulcitum, sed quod pro integratione, & vnitate Christianorum ex malitia temporis de facto, & finem de iure expediat eligentes, & in speculam eorum considerationem extollentes, quanti posset esse discriminis, si dilatio in electionem Summi futuri Pontificis fieret temporum malignitate pensata, vniuersaliter singuli, & singulariter vniuersi vnanimiter, & concorditer nemine discrepante ex certa scientia conuenerunt, vouerunt Deo, & eius Matri Virgini gloriosæ, ac Sanctis Apostolis Petro, & Paulo, totique Cœlesti Curiæ iurauerunt, & ad inuicem vnus alteri, & è conuerso se obligando solemniter promiserunt, quod si quis eorum

assumptus

assumptus fuerit ad Apicem Summi Apostolatus, pro integritate vnitatis Christianorum renunciabit effectualiter iuri suo, & Papatui purè, liberè, ac simpliciter, si, & quando Antipapa, qui est, & qui pro tempore fuerit, cõsimiliter renunciabit, & cedet prætensis iuri suo, & Papatui, siue decedat, dummodo Anticardinales effectualiter velint cum eisdem Dominis Sacri Collegij sic conuenire, ac concordare, quod ex hoc Sacro Collegio, & ex ipsis sequatur iusta canonica electio vnici Summi Romani Pontificis, ac etiam promittentes se futuros, & curaturos omni dolo, fraude, ac malitia, & interpretatione cessantibus pro posse, quod si quis ex Dominis absentibus, vel de extra Collegium per eos assumatur in Papã, eamdem faciet obligationem, ac quod infra mensem à die suæ intronizationis numerandum per suas extensas Apostolicas litteras Regi Romanorum, Antipapæ, & eius prætenso Collegio, Regi Franciæ, & omnibus alijs Regibus, Illustribus Principibus, Prælatis, Vniuersitatibus, & Communitatibus Christianitatis secundum videre præfatorum Dominorum de Collegio præmissa omnia iudicabit, & ea se offeret impleturum, & paratum ad cessionem modo prædicto, & ad omnem aliam viam rationabilem, per quam dictum schisma, & vnionis sequatur integritas in Ecclesia Christianorum, & quod super omnibus supradictis vltra præmissa suos solemnes destinabit Oratores infra tres menses à die intronizationis prædicto cõputandos illis, quibus de consilio præfatorum Dominorum Sacri Collegij sui videbitur, & ipsis Ambasciatoribus cum effectu imponet, cum consilio eorumdem Dominorum de locis decentibus eligendis ab

dis ab

dis ab vtraque parte, eisque potestatem plenariam dabit de loco conueniendo habili, & decenti, ac etiam promittet similiter, vt præfertur, quod pendente tractatu vnionis huiusmodi effectualiter, & realiter ex vtraque parte non creabit, nec faciet aliquem Cardinalem, nisi causa coequandi numerum sui Sacri Collegij cum numero prætensi Collegij ante Cardinalium præfatorum, nisi ex defectu steterit aduersæ partis, quod vnionis prædictæ conclusio infra annũ a fine dictorum trium mensium computañ. non fuerit subsequuta, quo casu eidem liceat Cardinales eligere, ac creare pro statu Sanctæ Matris Ecclesiæ, vt eidem videbitur conuenire, & hoc de non creando Cardinales, nisi modo prædicto in forma congrua insinuabit Antipapæ, & prætenso Collegio supradicto, vt ipsi similiter sic faciant, necnon, quod premissa omnia, & singula inchoata, & inchoanda mediabit, prosequetur, & fine debito terminabit nihil de contingentibus necessarijs, & vtilibus quomodolibet opportunis omittendo, quantum in eo fuerit, quodque statim post eius electionem, & ante ipsius publicationem omnia, & singula supradicta confirmabit, & approbabit authentico modo, & de nouo similem promissionem faciet in omnibus, & per omnia coram dictis Dominis de Collegio testibus, & notarijs, & subscriptionem faciet manu propria in instrumentis, prout supra de Cardinalibus cõtinetur, & similiter huiusmodi ratificationem, approbationem, votum, & promissionem effectualiter faciet in primo Consistorio publico, vel generali, quod post coronationem suam ad hoc commodo, consueto, & cõgruo tempore celebrabit. Insuper præfati Domini Cardinales

les vouerunt, iurauerunt, & ad inuicem promiſerunt, quod per ſuas litteras infra menſem à die intronizationis prædictæ collegialiter intimabunt de electione facta, necnon de voluntate, & promiſſione quoad vnionem proſequendam, & omnia ſupradicta omnibus prædictis Dominis, prout & ſicut facere tenetur, qui erit electus, ac etiam inchoata mediabunt, proſequentur, & finient quantum in eis erit; nihil de contingentibus neceſſarijs, ſeu quomodolibet vtilibus omittendo, quæ omnia, & ſingula promiſerunt inter ſe ad inuicem, & viciſſim vt ſupra attendere, obſeruare, facere exequi, & effectualiter adimplere bona, pura, & ſincera fide, omni dolo, & fraude ceſſantibus, & ſic quilibet eorum iurauerunt corporaliter, manu tactis Sacroſanctis Euāgelijs coram eis præſentialiter poſitis obſeruare, & adimplere, ac exequi prout ſuperius continetur, quodque ad prædicta promiſſione, voto, & obligatione, ac iuramenti præſtatione, & eius obſeruatione, ac omnibus, & ſingulis ſupradictis nullus eorum abſolutionem petet, ſeu impetrabit per ſe, vel alios, & impetratis, aut impetrandis vtetur, & ſibi conceſſam nullatenus acceptabit, nec dicta poteſtate per ipſum alteri commiſſa faciet ſe abſolui, ſeu etiam ſecum in aliquo diſpenſari, ſed volet perpetuo dicto vinculo remanere obligatus, & nihilominus ad maiorem certitudinem, & firmitatem pręmiſſorum quilibet ex Dominis de Collegio ſupradicto teneatur de ſubſcribere manu propria omnibus, & ſingulis inſtrumentis conficiendis, ex inde quorum inſtrumentorum quilibet ex Dominis de Collegio vnum, vel plura habere valeat pro eius Arbitrio voluntatis. Actum in Capella prædicta,

præſentibus ibidem venerabilibus, & circumſpectis viris Dominis Franciſco de Duce, Cameræ Apoſtolicæ Clerico, Iacobo de Calupis, & Petro de Sacco Canonicis Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, Ioannello de Caracciolo litterarum Apoſtolicarum Scriptore, Nicolao Blaſij Canonico Narnienſi, Antonello de Iurracha, Ioãnello Cararzullo literarum Sacræ Pœnitentiariæ Scriptoribus, Laurentio Turabaue Sanctæ Mariæ in Transtyberim, Nicolao de Leonibus Sanctorum Coſmæ, & Damiani de Vrbe, Ioanne Prento Iuniori Sanctæ Crucis Leodień. Eccleſiarum Canonicis, Andreę de Caualerijs de Sicilia, Salocho de Richaſolis de Florentia, Layſio de Gobacis de Mermillis de Neapoli Domicellis Presbytero, Paulo Petri Franciſci de Roma Materno Georgij Clerico Loanień. Diœc. Franciſco Paulucij Clerico Peruſiń. Petro Surminat Clerico Traiecteń. & Saluato Lelli, Petri Blanchi Ciue Romano teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter, & rogatis.

Et ego Stæphanus GernBorni de Prato litterarum Apoſtolicarum Scriptor, dictique Sacri Collegij Clericus, & publicus Apoſtolica, & Imperiali auctoritate Notarius Bũia præmiſſis omnibus, & ſingulis, dum ſic vt pręmittitur per prædictos Reuerendiſſimos Dominos Cardinales agerentur, & fierent vna cum ſupradictis teſtibus, & infraſcriptis Notarijs præſens fui, ideoque hoc præſens publicum inſtrumentum confeci, publicaui, & authenticaui, & in hanc publicam formam redegi, ſignoque, & nomine meis ſolitis, & conſuetis ſignaui, rogatus, & requiſitus in fidem, & teſtimonium omnium, & ſingulorum præmiſſorum.

Et ego

Et ego Baroneus Philippi de Pistorio litterarum Aposto licarum Scriptor, ac Notarius.

Et ego Clemens Notarius &c.

Et ego Gerlacus Notarius, &c.

Et ego Francho Notarius, &c.

Et ego Ioannellus Clericus Cappellæ Domini Papæ Notarius, &c.

Et ego Angelus Episcopus Ostień. Cardinalis Florentinus, sic vt præmittitur, voui, & promisi, & iuraui, & in testimonium præmissorum mea propria manu subscripsi.

Ego Henricus Episcopus Tusculanus Cardinalis Neapolitanus.

Ego Antonius Episcopus Prænestinus Cardinalis Aquilegień.

Ego Angelus Tituli Sanctæ Potentianæ Presbyter Cardinalis Laudeń.

Ego Conradus Tituli Sancti Chrysogoni Presbyter Cardinalis Constantinopolitanus.

Ego Iordanus Tituli Sancti Martini in Montibus Presbyter Cardinalis de Vrsinis.

Ego Ioannes Tituli Sanctæ Crucis in Hierusalem, Presbyter Cardinalis Rauennateń.

Ego Antonius Tituli Sanctæ Praxedis, Presbyter Cardinalis Tudertinus.

Ego Raynaldus S. Viti in Macello, Diaconus Cardinalis de Brancacijs, &c.

Ego Landulphus S. Nicolai in Carcere Tulliano, Diaconus Cardinalis Bareń. &c.

Ego Oddo Sancti Georgij ad velum aureum, Diaconus Cardinalis de Columna, &c.

Ego Petrus Sancti Angeli in foro Piscium, dictus Sancti Angeli, Cardinalis.

Ego Ioannes Sanctorum Cosmæ, & Damiani, Diaconus Cardinalis Leodien.

Ego Gregorius Duodecimus, hodie vltima die Nouembris Millesimo Quadringentesimo sexto assumptus in Romanum Pontificem, sic vt præmittitur, voueo, iuro, promitto, ac confirmo omnia supradicta, &c.

Creationes Cardinalium.

PRIMA CREATIO Lucæ.

Die Mercurij, nona Maij, anno 1408. *creantur in Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales publicandi die Sabbathi* 12. *eiusdem* ex Scripturis de Schismate lib. 22.

Antonius Corarius Nepos, & Camerarius Papæ, Episcopus Bononiensis, Tituli Sancti Petri ad Vincula, Presbyter, ex bullis eiusdem Pontificis, deinde Episcopus Portuensis. Obijt Episcopus Ostiensis, Die 19. Ianuarij 1445. Ciacconus vocat Tituli Sancti Chrysogoni.

Hunc tantummodo Gregorius de consensu Cardinalium die 4. Maij creare voluerat, sed quia Cardinales con-

consensum præbere recusarunt, cessit Gregorius ex *dictis scripturis de Schismate*.

GABRIEL Cōdolmerius Episcopus Senensis, & Prothesaurarius, Tituli Sancti Clementis, Presbyter, postea Eugenius Quartus.

IACOBINVS, seu Iacobus Prothonotarius Vtineñ. Diaconus Sanctæ Mariæ Nouæ. Decessit die 19. Februarij 1431.

IOANNES Dominici ex Ordine Prędicatorum, Tituli S. Sixti. Obijt in legatione Hungarica, & Boemica, die 10. Iunij 1419. Ciacconus anno 1420

Cum Cardinales sub obedientia Gregorij, agerent de vnione cum Cardinalibus Petri de Luna Gregorius id ægrè tulit, & quia sibi timebat, die 4. Maij edixit, ne Luca recederent, & interim nouos creauit Cardinales, qua propter antiqui Cardinales Angelus Ostiensis, Antonius Prænestinus Episcopi, Conradus Sancti Chrysogoni, Ioannes Sancti Martini in Montibus, Presbyteri, Raynaldus Sancti Viti in Macello, Oddo Sancti Georgij ad Velabrum, Ioannes Sanctorum Cosmæ, & Damiani, Diaconi recesserunt die 11. Maij Pisanum Concilium celebraturi; concordat Theodorus a Niem de schismate lib. 3. cap. 31. & 32. qui narrat fuisse creatos ante recessum Cardinalium a Gregorio, absentibus tamen omnibus Cardinalibus, quorum aliqui ob id ad Consistorium ire recusauerant. Leonardus Aretinus in suis Epistolis asserit eodem mense Maio fuisse creatos, sed post Cardinalium recessum. At Ciacconus vult fuisse creatos mense Iunio, qua in re erratum est, mense enim Maio erant

Cardi-

Cardinales, & eos Gregorius in pluribus bullis Cardinales appellat.

SECVNDA CREATIO.

Die 19. Septembris 1408. Senis.

LVDOVICVS de Branchacijs Archiepiſcopus Tarentinus Tituli Sanctæ Marię in Transtyberim, Presbyter die 27. Ianuarij 1410. appulit Caietam. Deceſſit viuente Gregorio Duodecimo.

ANGELVS Epiſcopus Recanateñ. Tit. S. Stephani in Cælio monte. Deceſſit in Legatione Marchiæ Anconitanæ die 21. Iunij 1412.

ANGELVS Barbadicus Epiſcopus Veroneñ Tit. SS. Petri, & Marcellini, Presbyter. Deceſſit Gebennis 16. Augusti 1418. *ex Diario*

BANDELLVS de Bandellis Epiſcopus Arimineñ. Tituli S. Balbinæ, Presbyter. Obijt viuente Gregorio.

PHILIPPVS Anglus Epiſcopus Lincolnien., Tituli Sancti Nerei, & Achillei, Presbyter, Matthęus Epiſcopus Vvormacienſis Orator Ruberti Regis Romanorum, Tituli S. Ciriaci in Thermis, Presbyter.

LVCAS Florentinus ex Ordine Humiliatorum Epiſcopus Feſulanus, Tituli Sancti Laurentij in Lucina, Presbyter. Obijt Florentiæ, Die 14. Septembris 1411 *Ex Tumulo.*

VINCENTIVS, ſeu Valentinus Prior Montis Serrati decretorum Doctor, Orator Martini Regis Aragonum, Tituli Sanctæ Anastaſiæ, Presbyter. Deceſſit viuente Gregorio, *Ex Litteris* eiuſdem Gregorij.

PETRVS

PETRVS Maurocenus Prothonotarius Apostolicus, Diaconus Sanctæ Mariæ in Cosmedin. Obijt Romæ, die 11. Augusti 1424. *ex tumulo*.

Ciacconus vocat S. Mariæ in Dominica Diaconum, sed in Bullis Gregorij, & Instrumento legitur vt supra.

Cardinales præfati vti creati contra voluntatem Cardinalium in obedientia Gregorij existentium, & contra ius iurandum ab eodem Gregorio præstitum non fuerunt habiti pro Cardinalibus, immo Concilium Pisanum promotiones factas per Gregorium à die tertia mensis Maij, & per Benedictum XIII. a die 15. Iunij anno 1408. irritas, & nullas declarauit, & Alexander V. Concilij sententiam confirmauit, vt in Bulla data Boloniæ 2. Kalendas Februarii Anno primo.

Concilium verò Constantiense die 4. Iulii 1415. post renunciationem a Gregorio factam recepit in S. R. E. Cardinales Antonium Episcopum Portuensem.

IOANNEM DOMINICVM Tituli Sancti Sixti.

GABRIELEM Tituli Sancti Clementis.

ANGELVM SS. Marcellini, & Petri.

BANDELLVM Sanctæ Sabinæ, Presbyteros.

PETRVM Sãctę Mariæ in Cosmedin Diaconum, & ex ipsis Bandellus obiit ante Conclaue: Io. Dominicus, & Gabriel interfuerunt electioni Martini Quinti, cęteri abfuerunt.

Ciacconus cum Cardinalibus secundæ creationis asserit fuisse promotum Octauianum de Octauianis Florentinum, sed absque titulo. Fides erit penes ipsum.

ALE-

Petrus Philargi Presbyter Cardinalis, Tituli Basilicæ XII. Apostolorum Pisis in Archiepiscopali Palatio die 26. Iunij, hora Tertiarum, anno 1409. in Summum Pontificem eligitur, Die 7. Iulij coronatur. Die Sabathi hora 5. noctis sequentis 4. Maij 1410. Bononiæ migrauit ad Dominum nullo creato Cardinale.

In Libro Sacri Collegij Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, in quo obligationes Episcoporum de soluendis communibus seruitijs describuntur ita legitur.

Anno Domini 1409. Indictione 2. Die Mercurij 26. Mensis Iunij, hora Tertiarum, vel circa infrascripti Reuerendissimi in Christo Patres, & Domini, Domini miseratione diuina Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales.

Episcopi.

GVIDO Prænestinus, dictus Pictauen.
HENRICVS Tusculanus, dictus Neapolitanus.
NICOLAVS de Brancaciis Neapolitanus Albanen. dictus Albanen.

ANTO-

ANTONIVS Caietanus Prænestinus, dictus Aquileień.
IOANNES Ostiensis, dictus Viuarień.
PETRVS Tusculanus, dictus de Podio.

Presbyteri.

PETRVS S. Susannæ, dictus de Turreyo.
ANGELVS Sanctæ Pudentianæ, dictus Laudeń.
PETRVS S. Praxedis, dictus de Hispania.
CONRADVS Sancti Chrysogoni, dictus Meliteń.
FRANCISCVS Sanctorum Quatuor Coronatorum, dictus Burdegaleń.
IORDANVS Sancti Laurentij in Damaso, dictus de Vrsinis.
IOANNES Sanctæ Crucis in Hierusalem, dictus Rauennateń.
PETRVS Basilicæ Duodecim Apostolorum, dictus Mediolaneń.
ANTONIVS Sancti Marci, dictus Tudertinus.

Diaconi.

AMEDAEVS Sanctæ Mariæ Nouæ, dictus de Salutijs.
RAYNALDVS Sancti Viti in Macello, dictus de Branchatijs
LANDVLPHVS Sancti Nicolai in carcere Tulliano, dictus Bareń,
BALTHASAR Sancti Eustachij, dictus Sancti Eustachij.
LVDOVICVS Sanctæ Agathę. dictus de Barro.
ODDO Sancti Georgij ad Vellus aureum, dictus de Columna.

PETRVS Sancti Angeli, dictus Sancti Angeli ſenior.
PETRVS Sancti Angeli, dictus Sancti Angeli iunior.
ANTONIVS Sanctæ Mariæ in Via lata, dictus de Chalanco.

Piſis, in Archiepiſcopali Palatio in vnum in Conclaue congregati Spiritus Sancti gratia inuocata vnanimiter, & concorditer nemine diſcrepante elegerunt, & nominauerunt in verum, & indubitatum, vnicum, & Summum Romanum Pontificem Reuerendiſſimum in Chriſto Patrem, & Dominum, Dominum Petrum de Candia, Sacræ Theologiæ eximium profeſſorem Tituli Duodecim Apoſtolorum, qui nomen aſſumpſit, & appellari voluit Alexander Quintus.

ALE-


LEXANDER, &c. Ad perpetuam rei memoriam rerum omnium summi, ac prouidi Ordinatoris Domini Nostri Iesu Christi, vices quamquam insufficientibus meritis gerentes in terris, exemplo eius inuitamur, vt de suprema Apostolicæ dignitatis specula ad singulas orbis partes nostræ considerationis aciem extendentes ad ea potissimè, per quæ fides Catholica roboretur, ac hæreses, & schismata procul ab Ecclesia depellantur, ac illa, quæ ad hoc prouidè, & solemniter gestá sunt, pro salute Christi fidelium executioni debitæ demandentur, opem, atque operam, prout nostrum requirit officium, impendamus. Sanè dudum videlicet Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo Trecentesimo Septuagesimo Octauo in Romana Ecclesia hoste humani generis procurante grauis, & pestilens nimium exorta scissura magna, populo Christiano infra breue tempus attulit detrimenta, tota ipsius Ecclesiæ fabrica per illam in duas partes diuisa, quarum vni quondam Vrbanus Sextus in sua & alteri quondam Clemens Septimus in eius obedientijs nuncupati eodem tempore, vt Romani Pontifices, præsidebant, Vrbanus quidem in Italia, Clemens autem præfatus in Gallia sibi Sedem adhærentium auxilio vendicabant. Deinde ipsis duobus contendentibus ab hac luce subtractis quondã Bonifacius Nonus, Vrbano; & iniquitatis Alumnus Petrus de Luna olim Benedictus Decimustertius in eorum obedientijs nuncupati Clementi prædictis, ac etiam po-

ſtea Bonifacio prædicto vita functo, quondam Innocentius qui VII. ac demum etiam ipſi Innocentio infra pauca tempora ſublato de medio perditionis filius Angelus Corario, qui olim Gregorius Duodecimus nominabantur, in huiusmodi obedientijs ſucceſſerunt, ſed cum vt dicto Clementi vita functo ageretur, alter in locum eius ſubrogaretur Cardinales de obedientia ipſius Clementis, de quorum numero tunc erat Petrus de Luna prædictus ad extirpanda diſcrimina generalis incommodi, quę ex ſchiſmate huiusmodi continuè pullulabant, ad inuicē promiſerunt, & Iuramento firmarunt, vt ſi quis eorum in Succeſſorem dicti Clementis eligeretur, proſequeretur extirpationem ſchiſmatis, & vnitatis vinculum in Dei Eccleſia etiam vſque ad renunciationem ſui Papatus incluſiuè, ſi maiori parti Cardinalium eorumdem pro bono vnionis expediens videretur, vt in quadam cedula ſuper præmiſſis facta, & ſubſcripta manibus ipſorum Cardinalium plenius continetur. Hæc autem ipſe Petrus non ſolum vna cum cæteris vnanimiter promiſit, & iurauit, verum etiam in verbis ſuis affectionem, ac ſollicitudinem erga vnionem per hanc viam habendam ardentiſſimam oſtendebat, ex cuius aſſertione, & verbis Cardinales prædicti, qui tunc pro electione celebranda conuenerant potiſſime inuitati dicuntur ad electionem de perſona eius faciendam, credentes proculdubio, quod ea quæ ore, & labijs prædicabat, etiam corde, & opere cum ſinceritate exequeretur, ſed præfatus Petrus, dicto Clementi ſurrogatus, licet ſtatim rebus adhuc recētibus iterato promiſerit, & iurauerit illa obſeruare, & per varias Mundi partes verbo notificauerit, & ſcriptura ſe pro
bono

bono vnionis esse omnino paratum renunciare aduersario suo pariter renunciante, tamen paulo post honoris fastigio, & dominandi cupiditate allectus, ac retrorsum conuersus primò paulatim tergiuersari, deinde apertè contradicere, & sine vllo velamine impugnare viam cessionis incæpit, omnesque exosos habere, qui de hoc audebant sibi facere mentionem. Augebantur miserabiliter Cardinales præfati se, & commodum Christianitatis contra spem suam ludificari, atque decipi conspicientes, sed tantus erat imminentis periculi terror, qui in actibus atque verbis tàm ipsius Petri, quàm aliorum quorumdam intrinsecorum eius proferebatur, vt alij ex eisdem Cardinalibus ori suo silentium imponere, alij qui liberius de hoc locuti fuerant, comminationum metu interdum a consilijs, & ab ipsis Missarum solemnibus non petita licentia, nec expectato fine recedere, alij ex nostra Ciuitate Aueniouen. in qua idem Petrus tūc degebat, subito abire ob timorē captiuitatis, & carceris cogerentur, nec solū Cardinales ipsos cōtēpsit, verūetiā Principes, & Dominos tēporales, qui ad hāc viā ipsam exhortabantur inter quos Cariss. in Christo Filius Noster Carolus Rex Francorum Illustris, quo maiori auctoritate ipsum Petrū ad ea, quam promiserat, obseruanda induceret, dilectum filium nobilem virum Ioannem Bituricen. & quondam Philippum Burgundiæ Patruos, ac Ludouicum Aurelianen. germanum Duces cum notabili Comitatu Prælatorum, ac Magistrorum in Teologia & iuris Doctorum & aliorum insignium virorum Oratores ad eum transmisit, qui cum ad vnionem Christianorum ex parte eiusdem Regis ipsum Petrum hortarentur, & viam cessionis

tanquam

tanquam breuiorẽ, & necessariam prȩferrent, & non solum promissiones, & iuramenta ab eodem Petro nuper super hoc facta, sed etiam verba ipsius allegarent, qui Legatus existens in Francia, quibusdã ex prȩfatis Ducibus, & alijs notabilibus viris dixerat fore necessarium, & expediẽs, vt per viam mutuȩ cessionis finis schismati imponeretur, ac etiam ipsi Cardinales tũc simul ob prȩsentiã prȩfatorum Ducum congregati hanc viam cessionis cõmodè expedire pro bono vnionis assererẽt; & de hoc sibi supplicarent, & quia supplicationibus, & rationibus nihil proficere posse videbant, in vim promissionis, & iuramenti eumdem Petrum solemniter requirerẽt, vt per viam cessionis pacem Ecclesiȩ prosequi vellet, prȩfatus Petrus calcato pudore, & dominandi cupidine obcȩcatus expresè facere denegauit, denique ne singula, quod nimis prolixum foret, consectemur, hanc viam cessionis per varios Regum, ac Principum Oratores sibi propositam per se improbauit, & per alios eius intrinsecos fecit publicè impugnari, ac tandem, vt omnibus spem de illa praecideret, per suum Confessorem in Ecclesia Fratrum Ordinis Prædicatorum Auenione fecit publicè prædicari, quod ipse potius pateretur mortem, quam huiusmodi viam quomodolibet acceptaret, qui etiam Cardinalibus præfatis aliquando in sua præsentia cõstitutis idem Petrus affirmauit frustra sibi de hoc mentionem fieri, quia ipse nunquam illam viam prosequeretur, etiam si Aduersarius renunciare vellet, & quod nunquam sederet inter Cardinales in eodem scamno, Per hoc euidenter ostendens, se de statu suo, non de vnione, & pace Christianorum, prout facere promiserat, & iurauerat cogitare.

cogitare. Ob hæc igitur periuria, peruersitates, & errores eidem Petro obedientia in Regno Franciæ subtracta cum per aliqua temporum curricula huiusmodi subtractio durauisset, ipse tandam suos defectus aliqualiter recognoscens, per instrumentum publicum, quod ferè ad omnes Reges, & Principes suæ partis direxit, viam obtulit mutuæ cessionis aduersario cedente mortuo, vel eiecto promisit etiam dictus Petrus in eodem instrumẽto, quod ad Congregationem, Synodum, vel Consilium, quod inde teneri, vel celebrari contingeret, pro vnione Ecclesiæ ipse accederet, & per huiusmodi oblationem, & alias quasdam considerationes fuit tunc eidem Petro obedientia restituta. Credebatur enim, quod illa, quã verbo obtulerat, facto adimpleret, sed exinde continuata periuriorum serie non magis postrema, quam priora eius promissa seruauit, Cumque itaque postmodum ad Bonifacium præfatum suos dictus Petrus misisset Oratores, quibus tamen, quid daret in mandatis, quidue illic facere, aut tractare deberent, Cardinalibus præfatis tenuit occultum, atque ipse Bonifacius infra paucos dies postquam dicti Oratores ad eum venerant, decessisset, Cardinales, qui eidem Bonifacio adhæserãt dictos Oratores tunc etiam Romæ existentes requiri fecerunt, & requisiuerunt, quod si a dicto Petro mandatum, seu potestatem habebant de via cessionis offerenda, hoc eis notificarent, quia ipsi Cardinales dispositi erant in eo casu ab electione cessare, & si de hoc mandatum non habebant, quod mitterent super hoc ad ipsum Petrum, & quod ipsi intendebant in electione supersedere, & expectare responsum, præfati Oratores se nullum habere

man-

mandatum de ceſſionis via offerenda, & quod pro hoc mittere nolebant ad Dominũ ſuum, reſponderunt, quoniam dicta via ceſſionis bona non erat, ex quo non ſolum euidens, verum etiam palpatum fuit, ipſum Petrum ad oſtentationem dumtaxat, non ad aliquem vnionis effectum Oratores prædictos in Italiam tranſmiſiſſe; poſt hęc igitur dictorum Oratorum reſponſa, quæ tergiuerſationem dicti Petri maximè detexerunt, Cardinales præfati Romæ exiſtentes quibuſdam, quæ ad vnionem habendam vtilia credebant præordinatis, ad electionem proceſſerunt, Et quia paulo poſt per experientiam manifeſtum fuit, quod illa, quæ tunc dicti Cardinales circa vnionem conſequendam ordinauerunt, non ſatis aduerſus malitiam, & cupiditatem hominum valida fuerant propterea ipſo quoque Innocentio, qui dicto Bonifacio ſurrogatus fuerat infra breue tempus vita functo iidem Cardinales, antequam ad electionem procedere vellent, magno zelo vnionis inducti diſpoſuerunt ad fortiora remedia pro pace, & reintegratione Chriſtianorum manus apponere. Itaque præfati Cardinales, inter quos etiam dictus Angelus Corario erat in Palatio papali Romæ apud Sanctum Petrum ad eligendum Succeſſorem, tunc inſimul congregati vniuerſaliter ſinguli, & ſingulariter vniuerſi, vnanimiter, & concorditer promiſerunt, iurarunt adinuicem, ac Deo, Beatæ Virgini, Sanctiſque Apoſtolis Petro, & Paulo, & toti cœleſti Curiæ vouerũt, quod ſi quis eorum in Succeſſorem dicti Innocentij foret aſſumptus, pro integratione Chriſtianorum renunciaret effectualiter iuri ſuo, & Papatui, ſi, & quatenus dictus Petrus, aut eius Succeſſor, qui eſſet pro tempore, ſimiliter renun-

renunciaret, ac cederet iuri suo, siue decederet, dummodo ipsius Petri Cardinales cum ipsis Cardinalibus ipsius Angeli vellent taliter conuenire, & concordare, quod ex ipsis hinc inde sequeretur Canonica electio vnici Romani Pontificis, quodque ad creationem nouorum Cardinalium non procederet, ac etiam alia multa tunc expressa promiserunt se facturos, & curaturos in hac parte, omni dolo, & fraude, atque mala interpretatione cessantibus, & sic quilibet ipsorum iurauit corporaliter manu tactis Sacrosanctis Euangelijs coram se presencialiter præsentatis seruare, adimplere, ac exequi, quodque a dictis promissione, voto, & obligatione, ac iuramenti præstatione, & eius obseruatione, ac omnibus, & singulis supradictis nullus eorum absolutionem peteret, seu impetraret per se, vel alios, nec impetratis, aut impetrandis vteretur, & sibi fortè concessam nullatenus acceptaret, nec data potestate per ipsum alterius faceret se absolui, seu etiam cum aliquo secum dispensari, sed vellet dicto vinculo remanere perpetuo obligatus, quodque ad maiorem certitudinem, & firmitatem præmissorum quilibet eorum teneretur se subscribere manu propria omnibus, & singulis instrumentis exinde conficiendis, quorum quidem Instrumentorum quilibet eorumdem Cardinalium vnum, vel plura habere valerent, pro eius arbitrio voluntatis; Quibus quidem promissionibus, iuramentis, & votis, vt præfertur, omissis idem Angelus tunc dicto Innocentio surrogatus promissiones, iuramenta, & vota huiusmodi etiam post eamdē surrogationem immediatè, ac deinde in eius Consistorio Generali ratificauit, & renouauit, alios increpando,

qui, cum pacem, & vnionem potuissent Christianitati prestare, neglexerant, ac litteras suas vti iuxta tenorem eiusdem instrumenti tenebatur ad eumdem Petrum direxit, per quas prædicta a se promissa iurata, & voto firmata notificauit, viam cessionis offerendo, ac ipsum Petrum requirendo, & inuitando, vt pro pace, & vnione Christianorum ijs oblatis annuere vellet, quod tandem ipse Petrus post longam instantiam suorum Cardinaliũ super hoc a quodam Nuncio eiusdem Angeli requisitus tanquam vulpes astuta verbo tenus effecit, & deinde per suas litteras ad præfatum Angelum transmissas versavice inuitauit eumdem ad prosecutionem vnionis, ac separatum cedere verbis obtulit, licet ex circumstantijs euidẽtibus comprehendebatur, quod dictus Petrus cessioni prædictæ non cum effectu, sed verbis, & ostentatione dumtaxat assentiebat, vt ante, & post in progressu huius tractatus semper extitit manifestum. Deinde Angelus præfatus ad eumdem Petrum ad firmandum locum in quo conuenire deberet, suos misit Oratores, qui cum Petro, & eius Cardinalibus antedictis tunc Marsiliæ residẽtibus nomine dicti Angeli, & pro eo concluserunt, quod ex tunc in proximo instanti festo Sancti Michaelis Archangeli de Mense Septembris, vel ex causa superuenientis impedimenti legitimi insequenti, ex tunc immediate celebritate omnium Sanctorum Angelus, & Petrus Præfati cum eorum Collegijs Cardinalium Sauonæ conuenire deberent ad faciendum ibidem vnionem antedictam, quæ omnia dictus Angelus etiam postea ratificauit, & approbauit dicendo, tunc frequentius nihil adeo sibi carum existere, sicut quod eamdem facere posset

cum

cum Petro, & eius Cardinalibus vnionem, & quod si Galeas non haberet in vna Barcha, vel pedes cum baculo ad dictam Ciuitatem Saonæ intendebat infallibiliter proficisci, quod tamen postea non curauit efficere, quãuis prædicti Cardinalis, qui eum elegerant cum maiori parte illorum, qui tunc eamdem Curiam sequebantur, omnibus vijs, & modis honestissimis grauibus, & maturis cum eodem Angelo intendentibus ipsum, vt dictam vnionem ad salubrem, & votiuum exitum ducere vellet, interpellare assiduè non cessarent, qui tamen apud eum per longa temporum interualla perficere nullatenus potuerunt, nonnunquam enim ipsis per verba respondendo ambigua dicebat, quod si dictam vnionem per eius cessionem fieri contigeret, profectò timeret, quod per hoc magis schisma in eadem Ecclesia suscitaret, quandoque verò per quosdam diuersorum mendicantium ordinum Fratres, & plerosque alios, quos sibi sub spe promotionum attraxerat etiam in Ecclesijs, & alijs locis publicis coram multitudine populi copiosa prædicare fecerat, quod si Papatui cederet, etiam si ex hoc prædicta vnio sequeretur animam suam in inferno damnaret, & multa etiam alia ijs similia fabulosa, seu figmenta reperiens conabatur semper nouas edere formas, per quæ tempus redimes Romæ, ac in Viterbiensi, & Senensi Ciuitatibus, donec dicti termini ad conueniendum Saonæ, vt prædicitur, præterire; Quippe Cardinalibus præfatis, qui cum ipso erant Saonam accedere volentibus sub grauibus pœnis inhibuit, ne illuc accederet, ac omnis pro dicta vnione laborantes habebat exosos, & successiuè cum post hæc magnis difficultatibus

protracti Angelus Lucã, & Petrus præfati ad Portum Veneris accessissent, ac de vno medio loco, in quo si nil conuenirent, tractaretur miris cauillationibus, ac fallacijs vota Christi fidelium pacem, & vnionem affectantium deluserunt, cum ipsi duo contendentes, immò verius colludentes per eorum intrinsecos, & antiquitatum suarum conscios homines, quos vterque ipsorum sub spe promotionum, & præmiorum sibi asciuerant, secretos inter se haberent tractatus, & interdum nocturna, & clandestina inter Angelum prædictum, & Nuncium quemdam eiusdem Petri, & viceversa prædictum Petrũ cum secreto Nuncio dicti Angeli traherentur colloquia, ac velut excomposita ad vexationem, & scandalum Christianitatis inuicem conspirantes, sic se habebant, vt quod vnus offerret, alter ex opposito denegaret, nec vllo modo poterant annitentibus tam ipsis Cardinalibus, quàm Prælatis, & Oratoribus, Regum, Principum, & Communitatum, qui tunc ista de causa illic conuenerant, ad concordiam deduci, Petrus quidem, quoniã Galeas tanquam ad bellum armatas habebat, nusquam à littore discedere, nec locum illum acceptare volebat nisi maritimum, & cuius dominium in suis manibus traderetur, Angelus alios scrupulos cum mirabili incostantia quæritabat, vnde oriebatur apud homines iustissima quædam, & intolerabilis indignatio cernentes duos nequissimos, & in capita sua detestabiliter mentitos senes terreni honoris cupididate corruptos, & in reprobũ sensũ datos cum paucis nequitiarum fautoribus contra desiderium, & zelum totius populi Christiani, qui pacem, & reintegrationem sui mirabiliter affectabat, schisma perniciosum

niciosum,detestabileque nutrire, ac perpetuare velle, & ob hoc iuramenta,promissiones, & vota postposito Dei timore,& hominum verecundia flagitiosissime conculcare, ob hęc homines Deum timentes, & vnionis zelatores plurimum torquebantur, & pijs precibus, ac sanis exhortationibus apud eosdem contendentes nō detinebant instare, vt pacem,cuius debitores esse dignoscebantur,Chrstianitati reddere vellent, frustra vero multis precibus per aliquos menses apud surdas eorumdem contendentium aures consumptis;tandem pręfatus Angelus dolum,quem de non faciendo dictam vnionem diu ante conceperat,intra se vlterius retinere non valens contra promissiones,vota,&iuramenta sua prædicta, & in fomētum schismatis memorati etiam deuotis supplicationibus ipsorum Cardnalium, qui eum elegerant,& efficacibus rationibus aure surda pęnitus obauditis, ac pręter, & contra voluntatem eorumdem Cardinalium, & promissiones, iuramenta,ac vota sua ad creationem quatuor,prout ipse dicebat,Cardinaliū de facto processit,ac etiam quorumdam prauorum, ac nephandorum consilijs seductus eosdem Cardinales, qui eum elegerant, Dei timore,hominumque verecūdia postpositis pro eo,quod pro huiusmodi tunc facienda vnione apud ipsum vehementius laborabant, & in creatione dictorum nouorum Cardinalium contra promissiones,iuramenta,ac vota sua de facto, vt pręmittitur, factorum consentire nolebant, quod nephas est dicer,eeos incarcerare, ac vita priuare, vt apparebat manifestis indicijs,conabatur,sed auxiliāte Domino prædicti Cardinales à facie arcus iam tensi, vt læderet,euaserunt, nec propterea idem Angelus à præ-

conceptis nequiter odio, & rancore per ipſum contra eoſdem Cardinales, qui eum elegere deſiſtens ſub priuationis, & alijs grauibus eis mandauit pœnis, ne aliquis eorum de præfata Ciuitate Lucana exiret, nec ipſi Cardinales congregarentur ad inuicem, aut per ſe, vel interpoſitam perſonam, cum Oratoribus Domini Petri, & illis qui ex parte ipſius Regis Francorum, & dilectorum filiorum Vniuerſitate ſtudijs Pariſień pro tractanda vnitate huiuſmodi ad eamdem Ciuitatem Lucanam venerant loquerentur. Quæ quidem mandata omnẽ ſpem, & tractatum vnionis huiuſmodi totaliter ſuſtulerunt, quadam etiam die eius publico Cõſiſtorio Lucæ adhuc exiſtens publicè aſſeruit, quod ad faciendum vnionem prędictá viam ceſſionis, vt perniciosiſſimam, ac diabolicam ſequi nollet. Cum igitur tam dicti Cardinales, quàm Ambaſciatores, Prælati, & ferè omnes Chriſti fideles vnionem Eccleſiæ affectantes de huiuſmodi vnione conſequenda ex facto ipſius Angeli omnimodo deſperarent, Cardinales ipſi cogitantes, quod melius eſſet eis incidere in manus hominum, quam derelinquere legem Dei, & fieri tranſgreſſores promiſſionum, iuramentorum, & votorum prædictorum, etiam ſi proinde exilium, paupertatem, & omnia mala eos pati oporteret, verſus Ciuitatem Piſanam, quam etiam per prius dictus Angelus pro facienda vnione prædicta in eadem, & ad hoc valde idoneam, & vt eius verbis vtamur, quaſi ad hoc fabricatam eidem Petro tunc recuſanti, licet prius in Marſilia Ciuitatem obtuliſſet eamdem Ambaſciatoribus dicti Angeli tunc etiam recuſantibus obtulerat, acceſſerunt, & dum ibi prædicti Cardinales forent inſimul congregati

gati ad huc cum omni humilitate dictum Angelum per intermedios nuncios eorum aliquoties sollicitarunt, vt ei placeret ad eamdem Ciuitatem Pisanam accedere, atque vna cum eis, quod ad perfectionem dictæ vnionis sicut expediret efficaciter pertractare, & in hoc etiam ipsius Angeli induratum animum immutare minimè potuerunt; Prædictusque Petrus interim ab eodem loco Portus Veneris recedens, tractatumque vnionis totaliter derelinquens, ad Cathaloniam declinauit, vbi plures in Cardinales contra promissiones suas, & in præiudicium vnionis Ecclesiæ prophanauit, omnibusque pene suis Cardinalibus, qui bonum vnionis huiusmodi expectabant in diuersis Castris, siue locis eidem loco Portus Veneris propinquis remanentibus, ac de facto vnionis per dictum Petrum perficiendæ etiam penitus desperantibus qui postea quam iteratis vicibus, & diuersis nuntijs eumdem Petrum ad dictam Ciuitatem Pisanam accedere pro vnione Ecclesiæ, & suo debito exequendo monuerunt, cum dictis Cardinalibus, qui dictum Angelum elegerant in loco Liburnij Pisanensis Diocesis conuenientes super prosecutione Reali, ipsius vnionis inter se diuersa colloquia, & tractatus longo tempore habuerunt, & demum per viam Concilij generalis tanquam viam rationabilem, & iuridicam, ad huiusmodi schisma tollendum procdendum fore decreuerunt, & Cocilium ipsum prout ad eos hoc casu pertinebat ad Ciuitatem Pisanam, quam ab vtroque cotendente licet diu ersis temporibus approbata, & oblata fuerat, & quam ad id per omnes reputabatur idonea, & secura conuocarunt ad eamdem Ciuitatem pro horum execu-

tione

tione personaliter accedentes interim prædicto Angelo ab eadem Ciuitate Lucana ad dictam Ciuitatem Seneñ, vnde illic venerat, recedente, vbi etiam mala malis accumulando, plures alios in Cardinales contra sua præmissa iuramenta, & vota prophanauit; conuocato igitur per eosdem ritè huiusmodi Generali Concilio ad Ciuitatem Pisanam, & cõuocatione ipsius vniuersis Christianitatis partibus, Regnis, atque Prouincijs debito tempore solemniter publicata. ac successiuè etiam Angelo, & Petro præfatis, nec non illis, qui eis adherebant, & se pro Cardinalibus tenebant congruò tempore nunciata, citatisque eis, & vocatis peremptorie, vt per se, vel alios eorum nominibus, & pro ipsorum interesse ad dictum Generale Concilium in eadem Ciuitate Pisarum celebrandum, & ad causam schismatis, & hæresis contra ipsos institueda etiã cõuenirẽt, ac cõparerẽt, ac præstita, & oblata eis plena securitate illic conueniẽdi, necnõ ibidẽ morãdi, & recedẽdi iuxta eorum beneplacitũ voluntatis, tandẽ adueniente præfinito termino, quo dictum generale Consilium in eadem Ciuitate Pisana fuerat celebrandum, & illic postea de partibus, Regnis, & Prouincijs prædictis, ac per Mare, & per Terram quasi innumera multitudine Prælatorum, videlicet, Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, & etiam Ambasciatorum, & Procuratorum Regum, & Principum, & Prælatorum, & aliorum, qui illuc personaliter recedere non potuerunt, ac etiam multorum insignium locorum nuncijs, & Ambasciatoribus; nec non Magistrorum in Theologia, & Iurisdoctorum mira multitudine illic continuò cõcurrẽtibus, eisdem Cardinalibus, & Prælatis, qui ad huiusmodi consi-

consilium conuenerant ad formandum processum pro
vnione Ecclesiæ necessarium contra eosdem Angelum,
& Petrum, ipsorumque sequaces, pluries insimul conue-
nientibus ipsis, Petro, & Angelo illic non comparenti-
bus per se, vel alios, & propterea contumacibus, prout
erant, merito reputatis, seruatis etiam seruandis post mul-
torum temporum interualla, & nonnullis sessionibus,
nec non alijs solemnibus actibus, prout ordo iuris, & tã-
ti negotij qualitas exigebat per eosdem Cardinales, per
Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, & Abbates, qui
locum in eodem Cõsilio habebant etiam publicè, & so-
lemniter factis, tandem huiusmodi Generale Concilium
dictorũ Angeli, & Petri, & suorũ sequaciũ absentia, seu cõ
tumacia, non obstante pronuntiauit, decreuit, diffiniuit,
& declarauit (prout hęc omnia in dicto processu deducta,
petita, & probata fuerunt) Angelum, & Petrum præfa-
tos fuisse, & esse notori os schismaticos, & eiusdem schis-
matis nutritores, defensores, fautores, approbatores in-
corrigibiles, & pertinaces, nec non notorios hæreticos,
& à Catholica fide deuios, atque promissionum, votorum
ac iuramentorum suorum huiusmodi tansgressores, &
eamdem Ecclesiam notoriè scandalizantes, & propte-
rea omni honore, & dignitate etiam Papali se reddidisse
indignos, ipsosque etiam per sacros Canones ab eadem
Ecclesia fore abiectos, priuatos, & præcisos, ac priuauit,
abiecit, & pręcidit, Inhibendo quoque eisdem Angelo,
& Petro, ne quis eorum se pro Romano Pontifice gerere,
aut nominare præsumeret, decreuitque dictam Roma-
na m Ecclesiã vacare, & per illos, ad quos hoc pertineret,
ad Summi Romani Pontificis electionem procedendum

fore, ac omnes, & ſingulos, etiam ſi Imperiali, Regali, aut alia quauis dignitate fulgerent iuramento, & obedientia, quibus forte eis tenerētur aſtricti, penitus abſolutos, inhibendo etiam Chriſtifidelibus antedictis, ne alicui ipſorum Angeli, & Petri parerent, obedirent, & intenderent, aut præſtarent auxilium, conſilium, vel fauorem, ſub excommunicationis, & alijs cenſuris, ſiue pœnis in tales a Canonibus promulgatis, illos etiam, qui forſan huiuſmodi ſententiæ prædicti Conſilij parere contemnerent, ac fautores, defenſores, & ſequaces Angeli, & Petri prædictorum, eiſque adhærentes, etiam per ſæculares poteſtates compeſcendos fore, & compeſci debere, & inſuper proceſſus, ac excommunicationis, inhabilitationis, ſeu alias ſententias, & cenſuras, necnon priuationes ordinū quorumcumque, ac dignitatum etiam Cardinalatus, beneficiorum, & officiorum, ac graduū quorumlibet contra eoſdem Cardinales, qui huiuſmodi conſilio adhæſerunt, & interfuerunt, necnon promotiones quorumcumque ad Cardinalatus honorem per Angelum a die tertia menſis Maij, ac Petrum prædictos a die quintadecima Iunij, Anni Domini Milleſimi Quadringenteſimi Octaui factas fuiſſe, & eſſe nullas, irritas, atque caſſas, illaſque, quatenus de facto proceſſerant, caſſauit, irritauit, & etiam annullauit, prout hæc omnia in prædicta ſententia plenius continētur. Nos itaque, qui poſt ea fuimus diuina fauente clementia ad Apicem Apoſtolatus aſſumpti, de conſilio Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium prædictam ſententiam, & omnia alia, & ſingula, quæ per conſilium huiuſmodi, pro tollēdo ſchiſmate prædicto, & reintegratione memorata facta fuerunt,

vt pote

vtpote prouidè, & tantorum Venerandorum Patrum, immò vniuersalis Ecclesiæ auctoritate, & concordia facta rata habentes, & grata, ea auctoritate Apostolica ex certa scientia approbamus, & præsentis scripti patrocinio cõmunimus, decernentes non minoris existere vigoris, & firmitatis huiusmodi sententiam, necnon omnia, & singula acta, et actitata in eodem Generali Concilio in hac parte quam fuerunt, et sunt alia Concilia in diuersis arduis negotijs ipsius Ecclesiæ celebrata. Volentes insuper, et eadem auctoritate decernentes, quod eidem sententiæ in iudicio, et extra, stetur firmiter, et omnino pareatur. Et quia turpis est pars, quæ suo non congruit vniuerso, volumus etiam, & auctoritate prædicta decernimus, quod si quis contra eamdem sententiam forsan verbo, vel facto, quod absit, temere facere, aut venire præsumpserit, tanquam schismaticus, & hæreticus, & hæreticorum fautor, necnon vt vniuersalis Ecclesiæ turbator, & scandalizator ab omnibus fidelibus habeatur, ac etiã euitetur, donec ab errore huiusmodi recipiscens ad gremium ipsius Ecclesiæ præmissa satisfactione debita cum humilitate, & reuerentia reuertatur. Nulli ergo &c. nostræ ratificationis, approbationis, communitionis, voluntatis, & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem &c. Dat. Bononiæ, ij. Kalendas Februarij, Anno Primo.

Coll. per me P. de Tillia

I. Stalberg.

IOANNES XXIII.

Balthasar Coßa Neapolitanus Sancti Eustachij, Diaconus Cardinalis, Die Sabathi, 17. Maij hora xj. anno 1410. Bononiæ eligitur, Die 25. Coronatur, Die 29. anno 1416. in Concilio Constantiensi priuatur.

Ex libro Sacri Collegij S.R.E. Cardinalium, in quo obligationes Episcoporum &c. pro communibus seruitijs adnotantur.

Bononiæ, anno 1410. Indictione tertia, Die Mercurij 14. Mensis Maij, hora xxij. infrascripti Reuerendissimi in Christo Patres, & Domini, Domini Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales num. xvij. Nouena solemniter celebrata, & ipsa die cantata Missa Spiritus Sancti, vt est moris, Conclaue intrauerunt pro electione futuri Romani Pontificis, videlicet,

Episcopi.

HENRICVS Sabineñ. dictus Neapolitanus.
NICOLAVS Albaneñ. dictus Albaneñ.

IOANNES Ostieñ. dictus Viuarieñ.
PETRVS Tusculanus, dictus de Podio.
ANGELVS, dictus Laudeñ.

Presbyteri.

PETRVS Tituli Sanctæ Praxedis, dictus de Hispania.
CONRADVS Sancti Chrysogoni, dictus Meliteñ.
FRANCISCVS Sanctorum Quatuor Coronatorum, dictus Burdegaleñ.
IORDANVS Sancti Laurentij in Damaso, dictus de Vrsinis.
IOANNES Sanctæ Crucis in Hierusalem, dictus Rauennateñ.
ANTONIVS Sancti Marci, dictus Tudertinus.

Diaconi.

RAINALDVS Sancti Viti in Macello, dictus de Branchatijs.
LANDVLPHVS Sancti Nicolai in carcere Tulliano, dictus Bareñ.
BALTHASAR Sancti Eustachij, dictus Sancti Eustachij.
ODDO Sancti Georgij ad vellus aureum, dictus de Columna.
PETRVS Sancti Angeli, dictus Sancti Angeli iunior, qui ab Alexandro prouisus est de Titulo SS. Cosmæ, & Damiani.
ANTONIVS Sanctæ Mariæ in Via lata, dictus de Chalanco.

Die

Die Sabathi 17. Mensis Maij, supraſcripti Reuerendiſſimi Cardinales in Cõclaui exiſtentes de mane hora xj. elegerunt Reuerendiſſimũ in Chriſto Patrem, & Dominum Dominum Balthaſarem Sancti Euſtachij Diaconum Cardinalẽ, & Apoſtolicæ Sedis Legatum vnanimiter, & concorditer in Summum Pontificem, qui vocatus eſt Ioannes XXIII.

Die Dominica xxv. Maij Sanctiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus Noſter, Dominus Ioannes Papæ XXIII. (die Sabathi præcedenti primo in Palatio Apoſtolico per Reuerendiſſimum in Chriſto Patrem, & Dominum Ioannem miſeratione diuina Epiſcopum Oſtienſem, Viuarienſem vulgariter nuncupatum, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Vicecancellarium, ordinatus in Presbyterum) fuit in Eccleſia Sancti Petronii, iuxta dictum Palatium per Dominum Cardinalem Oſtieñ. in Epiſcopum conſecratus; & ſubſequenter cantata per dictum Dominum noſtrum Miſſa, & ſeruatis omnibus ſolemnitatibus in talibus obſeruari conſueti ſupra Thalamum ad hoc ordinatum ante portam dictæ Eccleſiæ, vt eſt moris, extitit per Reuerendiſſimum in Chriſto Patrem, & Dominum, Dominum Raynaldum Sancti Viti in Macello, Diaconum Cardinalem de Branchacijs vulgariter nuncupatum, & Priorem Diaconorum ſolemniter, & cum maximo triumpho in præſentia Populi, & curialium multitudine copioſa Coronatus.

PRIMA CREATIO Cardinalium.

Romæ, Die Sabathi, 6. Iunij 1411.

FRANCISCVS Landus Patriarcha Constantinopolitanus, Tituli Sanctæ Crucis in Hierusalem Presbyter. Obijt Romæ Episcopus Sabinensis, die 26. Decembris 1427. in Ciaccono legitur anno 1417. Impressoris errore.

ANTONIVS Pácerinus de Portu Gruario Patriarcha Aquileiensis, Tituli Sanctæ Susannæ Presbyter. Decessit Episcopus Tusculanus, die 3. Iulij 1431. Romæ.

ALAMANNVS Adimarius Archiepiscopus Pisanus, Tituli Sancti Eusebii Presbyter. Obijt Tibure, die 17. Aprilis 1472.

IOANNES Archiepiscopus Vlixboneñ. Tituli Sancti Petri ad Vincula. Obijt Brugis, die 23. Ianuarij 1415. *Ex Libro Obligationum*.

PETRVS de Alliaco Episcopus Cameraceñ. Tituli Sancti Chrysogoni Presbyter. Decessit die 8. Augusti 1425.

GEORGIVS de Liechtenstain Episcopus Tudertinus in Castro Spori, veneno sublatus interijt post annum Episcopatus sui 29. ex *Iano Pirro* de Vitis Pontificum Tridentiñ. Ciacconus vocat Georgium Rosco.

THOMAS Branchatius Episcopus Tricariceñ. Tituli Sanctorum Ioannis, & Pauli, Presbyter. Obijt Romæ, die 8. Septembris 1427.

BRANDA de Castellione Episcopus Placentinus, Tituli San-

Sancti Clementis Presbyter. Obijt die 4. Februarij 1443.

THOMAS Langlei Episcopus Dunelmensis, *ex libro solutionum*. Ciacconus vocat Armellinum; vnde id hauserit incertum.

ROBERTVS a Luna Episcopus Sarisberiensis. Obijs die 4. Septembris 1417.

EGIDIVS de Campis Episcopus Constantiensis.

LVCIDVS de Comitibus Prothonotarius Apostolicus, Tituli Sanctæ Mariæ in Cosmedin, Diac. Obijt Bononiæ die 9. Septembris 1417.

GVILLELMVS Philasterij Decanus Rhemeñ. Tituli Sancti Marci Presbyter. Obijt Romæ, die 6. Nouembris 1428.

FRANCISCVS Zabarella Electus Florentinus, Sanctorum Cosmæ, & Damiani Diaconus. Obijt Constantiæ die 26. Septembris 1417.

SECVNDA CREATIO S.R.E. Cardinalium.

Die Veneris 13. *Aprilis* 1413. *Romæ*.

SYMON de Cremado, Archiepiscopus Rhemeñ. Tituli Sancti Laurentij in Lucina. Die 18. Nouembris 1417. Constantia recessit in Galliam, vbi obijt anno 1429.

TER-

TERTIA CREATIO

S.R.E. Cardinalium.

Bononiæ, Die 8. *Nouembris* 1413.
Ex Diario.

IACOBVS Insulanus Diaconus Sancti Eustachij, decessit die 9. Februarij. 1431. Ciacconus asserit Creatum mense Septembris. 1414.



CLEMENS SEPTIMVS.
Pseudopontifex.

Robertus Gebennensis Presbyter Cardinalis, Tituli Basilicæ Duodecim Apostolorum, creatur in Ciuitate Fundorum, Die vigesima Septembris 1378. Die Dominica, vltima Octobris 1378. in eadem Ciuitate coronatur. Decessit Auenione, Die 16. Septembris 1394.

Reuerendissimis in Christo Patribus Dominis Petro Episcopo Portuensi, Francisco Tituli Sanctæ Sabinæ, Simeoni Tituli Sanctorum Ioannis, & Pauli Presbyteris, Iacobo de Vrsinis Sancti Georgij ad vellus aureum Diacono miseratione Diuina Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus.

IOANNES Episcopus Prænestinus.
GVILLELMVS Tituli Sancti Stephani in Cælio Monte.
BERTRANDVS Tituli Sanctæ Cæciliæ.
ROBERTVS Basilicæ xij. Apostolorum.
HVGO Tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum.
GVIDO Tituli Sanctæ Crucis in Hierusalem.
IOANNES Tituli Sancti Marcelli.
PETRVS Tituli Sancti Laurentij in Lucina.

GERARDVS

GERARDVS Tituli Sancti Clementis Presbyteri.
PETRVS Tituli Sancti Eustachij.
GVILLELMVS Sancti Angeli.
PETRVS Sanctæ Mariæ in Via lata.
PETRVS Sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconi.

Eadem miseratione Sanctæ Rom. Ecclesiæ Cardinales Anagniæ existentes; Salutem, & fraternæ dilectionis affectum.

CVm nuper Apostolica Sede vacãte per obitum pię, & Sanctæ mem. Domini Gregorij Papæ XI. qui de mense Martij proximè præteriti diem suum in Vrbe clausit extremum, Nos vna vobiscum pro electione futuri Romani Põtificis, vt iuris, & moris est celebranda in conclaue ad hoc in Apostolico Palatio, in quo idem Sanctæ memoriæ Gregorius obierat, deputato conuenissemus, Romani officiales, cum magna Multitudine Populi armati, quasi hostili more totum ab extra circumdederunt, & de intus ferè repleuerunt Palatium antedictum &c. cum igitur istud factũ &c. sine dissimulatione transire non possit, volentes circa omnia prouidere, vos vtique maxima, & honorabilia membra ipsius Ecclesiæ Sacrosanctæ, & ad quos vna nobiscum pertinet, sub debito fidelitatis, quo eidem Romanæ Ecclesiæ tenemini, requirimus, vos quanto possumus carius deprecantes, vt intra quinque dies ad tardius, postquam præsentes litteras receperitis, in Anagnia conueniatis vna nobiscum ad deliberãdum,

& prouidendum super pręmissis de remedijs opportunis, necnon ad tractandum, & peragendum omnia, & singula, quę propter præmissa erunt necessaria ad salutem, & vtilem prouisionem Sanctæ Romanæ, & Vniuersalis Ecclesiæ, ac Fidei orthodoxæ. Datū Anagniæ, anno à Natiuitate Domini 1378. die 20. Mensis Iulii, Primæ indictionis sub proprijs nostris sigillis. Hęc ex *libris de schismate*. Quæ sequuntur *ex libro obligationum*, in quo scilicet describuntur promissiones, seu obligationes de soluendis communibus seruitijs Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, desumpta sunt.

Die 20. Septembris 1378. Robertus de Gebennis in Ciuitate Fundorum, vbi Cardinales in partibus Italiæ existentes præsentes fuerunt (excepto Francisco de Thebaldoßis, qui die 20. Augusti decesserat) fuit electus in Summum Pontificem, qui Clemens vij. nominari voluit; die vltima Octobris eiusdem anni in Ciuitate Fundorum Coronatur.

Creationes Anticardinalium

PRIMA CREATIO.

Fundis, die 16. Decembris in quatuor Temporibus anno 1378.

IACOBVS de Itro Administrator Ecclesiæ Hidruntinæ Patriarcha Cōstantinopolitanus, Tituli Sanctę Priscæ, postmodum Sanctæ Praxedis, Presbyter, enunciatur defunctus die 30. Martij 1393. *in litteris* Clementis 7. Ciacconus obitum refert ad Annum 1387. dignitati

Cardi-

Cardinalatus, quam à Clemente receperat, cessit die 4. Septembris 1387. præsente Regina Siciliæ coactus à Gentile de Sangro Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinale, in Regno Siciliæ Sedis Apostolicæ Legato.

NICOLAVS de Branchatijs Archiepiscopus Cusentinus, Presbyter Tituli Sancti Marci, postea Sanctæ Mariæ in Transtiberim; obijt Episcopus Albanus Florentiæ die 29. Iunii 1412.

PETRVS Archiepiscopus Ebredunen. Presbyter Tituli Sancti Marci, & deinde Sanctæ Mariæ in Transtiberim, decessit Anno 1389. Hunc Ciacconus vocat Petrum Sorecenacium, qui tamen Sorecenacius, vulgo Viuarien. non fuit creatus a Clemente Septimo, sed à Gregorio Vndecimo, & interfuit electioni ipsius Clementis, vt *in libro Sacri Collegij* Cardinalium.

PETRVS de Barreria Episcopus Aeduen. Presbyter, Tituli Sanctorum Marcellini, & Petri. Obiit Auenione, Die 13. Iunij 1383.

NICOLAVS de Sancto Saturnino ex Ordine Prædicatorum Magister Sacri Palatij, Tituli Sancti Martini in Montibus *ex libro Obligationum*, *& bullis.* Obijt die 23. Ianuarij 1382. Ciacconus vocat Sancti Sixti.

LEONARDVS de Ciffono Generalis Ordinis Minorum Presbyter Cardinalis, Tituli Sancti Sixti, ex *bullis* Clementis. Ciacconus Sancti Syluestri, qui, eodem authore, Decessit anno 1405. sed ipse adhuc viuebat die 17. Martij 1407. quem Benedictus Decimustertius, pro vnione tractanda, Marsiliam vocat, vt in eiusdem Benedicti *litteris*.

SECVNDA

SECVNDA CREATIO.

Auenione.

Die 19. *Maij Anno* 1381.

GVTERIVS Gometij Cardinalis, Presbyter, Tituli Sanctorum Ioannis, & Pauli, creatus a Petro de Luna, Diacono Cardinali Sãctæ Mariæ in Cosmedin, Sedis Apostolicæ in Hispania Legato, ex authoritate sibi per Clementem Septimum demandata; Recipitur Auenione, Die 27. Maij 1382. Decessit ibidem 13. Iuanuarij 1391.

TERTIA CREATIO.

Auenione.

Die 30. *Maij Anno* 1382.

THOMAS de Casasto ex Ord. Prædicatorum, Archiepiscopus Neapolitanus, Presbyter, Tituli Sanctæ Sabinæ, *ex libris Sacri Collegij* Cardinalium, Decessit Auenione 17. Iunij 1390.

QVARTA CREATIO
Auenione.

Die 23. *Decembris*, *Anno* 1383.
Ciacconus 1389.

Forte per errorem Impressoris,

PETRVS de Croso Archiepiscopus Arelaten. Camerarius S.R.E. Presbyter, Tituli Sanctorum Nerei, & Achillei. Obijt Auenione, Die 16. Nouemb. 1388. *ex lib. oblig.* Ciacconus in additione, die 10. Maii.

FAYDITVS de Agrifolio Episcopus Auenionen. Presbyter, Tituli Sancti Martini in Montibus. Obiit Auenione, Die 2. Octobris 1391.

AYMERICVS de Magnaco Episcopus Parisien. presbyter, Tituli S. Eusebii. Obiit 21. Martii 1385. *ex libro oblig.* Ciacconus in additione, anno 1384.

IACOBVS de Montenayo Archidiaconus Remen. & Papæ Cubicularius, presbyter, Tituli Sanctorum Marcellini, & Petri. Obiit Auenione, Die 1. Maii 1391.

AMEDAEVS de Salutiis Episcopus Valentinen. & Dyen. Diaconus Sanctæ Mariæ Nouæ. Decessit extra Curiam Florentiæ commorantem, Die 28. Iunii 1419.

PETRVS de Monteacuto Episcopus Lauden. absens, hic per annos plures Parisiis absuit. Obiit die 8. Nouembris 1388. *ex tumulo*, an illi fuerit datus titulus incertũ est, a Ciaccono vocatur, Petrus Amelij de Mõteacuto.

MAR-

MARTINVS Episcopus Vlixbonen̄. absens, Orator Fernā-di Regis Portugalliæ ad Carolum Regem Franciæ pro schismate tollendo ad Annum 1380.

VVALTERIVS Episcopus Glasgnen̄. absens.

IOANNES de nouo Castro, Episcopus Tullen̄. Tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum, postea Ostien̄. Decessit die 4. Octobris 1398.

PETRVS de Fetenhiaco I.V.D. Sanctæ Mariæ in Aquiro Diaconus. Obijt Auenione, Die 5. Nouembris 1392

QVINTA CREATIO
Auenione,

Die 12. *Iulij* 1385.

BERTRANDVS de Chanaco, Patriarcha Hierosolymitanus, Presbyter, Tituli Sanctæ Pudentianæ. Ciacconus asserit obijsse Die 21. Maii 1404. & concordat inscriptio Sepulchralis.

THOMAS de Amanatis, Archiepiscopus Neapolitanus, Presbyter, Tituli Sanctæ Praxedis. Obiit Die 9. Decembris 1399.

IOANNES de Placentinis, Episcopus Castellanus, Presbyter Cardinalis, Tituli Sancti Ciriaci in Thermis. Obiit Die 9. Maii 1404.

AMELINVS, seu Amelius de Lautrico, Episcopus Conuenarum, Presbyter, Tituli Sancti Eusebii. Obiit Auenione, Die 7. Iunii 1390.

IOANNES de Murolijs, seu Minoliis, Episcopus Gebenneñ. Presbyter, Tituli Sancti Vitalis. Obiit inter annum 1399. & 1403. tempore quo Benedicto de Luna subtracta fuit obedientia.

IOANNES de Bronhiaco, Episcopus Viuarieñ. presbyter, Tituli Sanctæ Anastasiæ, creatus Episcopus Ostieñ. a Benedicto Decimotertio. Obiit Die 16. Februarij 1426.

PETRVS de Tureyo, Episcopus Malleaceñ. Presbyter, Tituli Sanctæ Susannæ. Ciacconus asserit obijsse anno 1412. sed ipse adhuc viuebat anno 1417. die 16. Aprilis, vt *in litteris* Benedicti Decimitertij.

IOANNES Rotlandi, Episcopus Ambianeñ., postea Tusculanus. Ciaccon asserit obiisse die 17. Aprilis 1388. at *in libro oblig.* Sacri Collegii Cardinalium legitur decessisse post mensem Octobris 1388. intra dictum annnm 1388. & 1403. quo tempore subtracta fuerat obedientia Petro de Luna.

SEXTA CREATIO.

Prope tempus Paschale anno 1385.

Ex vita Clementis Septimi, *& Bulla* eiusdem.

PETRVS de Lucemburgho, Electus Meteñ. Frater Comitis Sancti Pauli, Diaconus Cardinalis Sancti Georgii ad Velum aureum. Obiit die 5. Iulij 1387. ætatis suæ

tis suæ XVIII.

Ciacconus asserit hunc fuisse creatum anno 1386.

SEPTIMA CREATIO

Anno 1387.

PILEVS de Prata Archiepiscopus Rauennaten. hic cum fuisset creatus ab Vrbano Sexto Presbyter Cardinalis, Tituli Sanctæ Praxedis, & deinde Episcopus Tusculanus, sequutus est partes Clementis Septimi; ideoque dignitate Cardinalatus priuatus ab eodem Vrbano, die 13. Nouembris anno 1387. aduenit die 13. Iunii ad Clementem Auenione commorantem, a quo receptus est inter Presbyteros Cardinales, cum Titulo Sanctæ Priscæ. Bonifatio Nono postmodum adhæsit, a quo die 13. Februarii 1391. receptus fuit in Consistorio publico, & priuato; quare vulgo Cardinalis de tribus Capellis fuit appellatus. Obiit anno 1408.

GALEOTTVS Tarlatus de Petra mala, Diaconus Cardinalis Sancti Georgii ad Velum aureum, obtinuit etiam Diaconiam Sanctæ Agathæ ab Vrbano Sexto, a quo creatus fuerat Cardinalis, defecit ab eodem, & ad Clementem Septimum profectus est, a quo die 5. Maij 1388. Auenione recipitur. Decessit inter annum 1399. & 1403.

OCTAVA

OCTAVA CREATIO.

Anno 1388. *Auenione*.

IACOBVS de Aragonia consanguineus germanus Petri Regis Aragoniæ, quo viuente dignitatem Cardinalatus sibi a Clemente delatam recipere recusauit. Die 19. Ianuarij 1389. primo accessit ad Curiam. Obijt Episcopus Sabinus, Die 30. Maii 1396.

NONA CREATIO.

Die 8. *Nouembris* 1389. *Auenione*.

IOANNES de Talaru Archiepiscopus Lugdunen̄. absens à Curia creatur. Decessit mense Septembris 1392.

DECIMA CREATIO.

Die 23. *Iulÿ* 1390. ex libro obligationum.

MARTINVS de Salua, Episcopus Pampilonen̄. Presbyter, Tituli Sancti Laurentii in Lucina, *Ex Bullis* Clementis, & Benedicti. Obiit die 22. Octobris 1403.

VNDECIMA CREATIO.

Die 17. Octobris 1390. in Bellocadio Arelaten. Diœc.

IOANNES Flandrini, Archiepiscopus Auxitanus, Presbyter, Tituli Sanctorum Ioannis, & Pauli; postea Sabinus Episcopus.

PETRVS Gerardi, Episcopus Anicieñ. Presbyter, Tituli Sancti Petri ad Vincula; postea Episcopus Tusculanus. Decessit anno 1415. secundum Ciacconum: at ipse viuebat die 16. Aprilis 1417. *ex Bulla* Benedicti Decimitertij.

DVODECIMA CREATIO.

Die 17. Aprilis anno 1391. Auenione.

GVILLELMVS de Vergeyo, Archiepiscopus Bisuntinus, Presbyter Cardinalis, Tituli Sanctæ Cæciliæ. Ciacconus in additione credidit obijsse anno 1407.

XIII. & Vltima CREATIO.

Die 24. Ianuarij anno 1394. Auenione.

PETRVS Fernandi de Frigidis, Episcopus Oxomeñ. Presbyter

biter, Tituli Sanctæ Praxedis. Obijt Florentiæ, Die Lunæ 19. Septembris 1420.

Ciacconus in vltima creatione collocat Ludouicum de Gerreuodo Episcopum Maurianensem: sed vnde id hauserit incertum est. *in lib. ob lig. solutionum, & Diuisionum* Sacri Collegii Eminentissimorum Cardinalium non legitur Ludouicus; in Bullis Clementis, aut Benedicti nulla fit mentio. Fides erit penes authorem.

PETRVS Frizon in Appendice ad Galliam purpuratam asserit Ioannem de Rochechouard, Archiepiscopum Arelatensem fuisse creatum Cardinalem a Clemente Septimo. Claudius Robertus in Gallia Christiana vocat eumdem Cardinalem Ostiensem. Vnde hoc desumpserint, incertum *in libris Sacri Collegij* Ioannem perquisiui, sed non inueni. Dies, & Annus creationis a præfatis Scriptoribus supprimitur, sed Titulus Anticardinalatus supprimi debuerat; nam a Clemente Septimo Ioannes a nouo Castro administrator Ecclesiæ Tulleñ. Tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum, post obitum Bernardi Lagerij Episcopi Ostiensis anno 1392. creatus est Episcopus Ostiensis, vt adnotaui in Vrbano Sexto.

BENE-

BENEDICTVS XIII.
Pſeudopontifex.

Petrus de Luna Hiſpanus, Sanctæ Mariæ in Coſmedin Diaconus Cardinalis, Auenione creatur Pſeudopontifex, Die 28. Septembris 1394. die Sabathi 3. Octobris fuit in Presbyterum ordinatus, & Die Dominica vndecima eiuſdem in Epiſcopum conſecratus, & vt moris eſt, coronatus anno 1394.

Die 26, Iulij 1417. in Conſtantienſi Concilio priuatur. Deceſsit in Paniſchola menſe Septembris anno 1424.

Ex libro Officialium Benedicti Decimitertii Pſeudopontificis, eiuſdem Benedicti Electio.



Nno a Natiuitate 1394. & die Mercurij 16. Menſis Septembris inter nonam, & decimam horam fœl. rec. Dominus Clemens Papa Septimus, anno ſui Pontificatus 16. animam ſuam eius Creatori reddidit, & die Veneris immediatè ſequenti, corpus ſuum traditum extitit in Eccleſia Auenionenſi,

iuxta

iuxta Sepulturam D. Ioannis xxII. Ecclesiasticæ Sepulturæ, & tunc in Collegio erant vigintiquatuor Cardinales, quorum viginti, & vnus erãt præsentes in Curia, videlicet Domini

PETRVS Portueñ. dictus Florentinus.
GVIDO Penestrinus, dictus Pictaueñ.
IOANNES Tusculanus, dictus Ambianeñ.
NICOLAVS Albaneñ. dictus Cusentinus.
IACOBVS Sabineñ. dictus de Valentia in Aragona.)hi erant absentes.
IOANNS Ostieñ. dictus de Nouo Castro.
GVILLELMVS Tituli Sancti Stephani in Cælio monte, dictus de Agrifolio.
LEONARDVS Tituli Sancti Sixti, dictus de Giffono
BERTRANDVS Tituli Sanctæ Potentianæ. dictus Hierosolymitanus.
THOMAS, Tituli Sanctæ Praxedis, dictus Neapolitanus.
IOANNES Tituli Sancti Vitalis, dictus de Murolio.
PETRVS Tituli Sanctæ Susannæ, dictus de Iureyo.
IOANNES Sanctæ Anastasiæ, dictus Viuarieñ. Vicecancellarius.
PETRVS Sancti Petri ad Vincula, dictus Aniciеñ. Pœnitentiarius.
MARTINVS Sancti Laurentii in Lucina, dictus Pampiloneñ.
IOANNES Sanctorum Ioannis, & Pauli, dictus Auxitanus.
GVILLELMVS Sanctę Cæciliæ, dictus de Vergeyo.
PETRVS, qui fuit Episcopus Oxomeñ. dictus de Hispania non habebat Titulum, & erat absens.

HVGO

Hvgo Sanctæ Mariæ in Porticu, dictus de Sancto Martiali.
Petrvs Sanctæ Mariæ in Via lata, dictus de Veruhio.
Petrvs Sanctæ Mariæ in Cosmedin, dictus de Luna.
Amedaevs Sanctæ Mariæ Nouæ, dictus de Salutijs.
Galeottvs Sancti Georgii ad Velum aureum, dictus de Petramala.

Qui quidem Domini Cardinales præsentes, die Sabathi 26. eiusdem Mensis modicum post horam Vesperorum conclaue intrauerunt, in quo die Lunæ 28. ipsius Mensis prædictum Dominum Petrum Sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconnm Cardinalem in Summum Pontificem elegerunt, qui Benedictus Papa Decimus tertius voluit nominari, & subsequenter die Sabathi 3. Mensis Octobris prędictus Dominus Benedictus fuit per dictum Dominum Guidonem Episcopum Penestrinum in Presbyterum ordinatus, & postmodum die Dominica, quæ fuit 11. die Mensis Octobris, idem Dominus Noster in magna Capella Missam celebrauit, infra cuius solemnia per dictum Dominum Ioannem Episcopum Ostiensem consecratus extitit, & postea, dato prius in fine Missæ presbyterio consueto, fuit per dictum Dominum Hugonem Sanctæ Mariæ in Porticu Diaconum Cardinalem coronatus, & deinde, more in talibus fieri consueto, per Villam Auenionen. equitauit.

CREA-

Creationes Anticardinalium.

PRIMA CREATIO
Auenione.

Die 24. Decembris anno 1398.

PETRVS Blani Legum Doctor Excellentissimus,, Referendarius Domini Papæ, Diaconus Sancti Angeli in foro Piscium. Decessit die 12. Decembris 1409.

SECVNDA CREATIO

Die 20. Decembris 1397. Auenione, alibi legitur die 22,

FERDINANDVS Calniello Episcopus Tirasonen̄. Presbyter Tituli Duodecim Apostolorum præsens, viuebat anno 1404.

IANFRIDVS, seu Gaufridus Boillii Referendarius, Sanctę Mariæ in Aquiro, Diaconus. Decessit anno nono Pontificatus eiusdem Benedicti, anno scilicet 1402. vel 1403.

PETRVS Serra electus Cathanien̄. Cancellarius Regis Siciliæ. Decessit Ianuæ, die 8. Octobris 1404. *ex Diario* Benedicti Decimitertii.

Ciacconus hunc credidit esse Petrum Cardinalem Sãcti Angeli seniorem, & obiisse anno 1409. sed labitur; Petrus enim Sancti Angeli senior est Petrus Fonseca, de quo infra, vt in *libro diuisionum*.

TERTIA CREATIO in Ponte Sorgiæ, Auenionen. Diœces.

BERENGARIVS Episcopus Gerunden. Presbyter, Tituli Sancti Clementis, postea Episcopus Portuensis. Decessit . . . .

BONIFATIVS de Amanatis Papæ Notarius, Diaconus Sancti Adriani. Obiit inter annum 1399. & Mensem Martij 1403. quo tempore Petro de Luna subtracta fuerat obedientia in Regnis Franciæ, & Castellæ.

LVDOVICVS de Barro Regis Francorum Consanguineus, Episcopus Lingonen. Diaconus Sanctæ Agathæ, postea Presbyter, Tituli Duodecim Apostolorum, ac demum Episcopus Portuensis. Obiit Mense Iulii 1430. *ex libro diuisionum*. Ciacconus anno 1425.

QVARTA CREATIO Auenione.

Die 9. Maij 1404.
Ciacconus omittit Mensem.

MICHAEL de Salua, nepos Martini Cardinalis Pampilonen. Sancti Georgii in Velabro Diaconus. Obiit in Monacho Nicien. Diœc. ex morbo Epidemiæ, die 16 Augusti 1406. *ex Diario* Benedicti Decimitertii.

ANTONIVS

ANTONIVS de Chalanco Cancellarius Comitis Sabaudię Diaconus Sanctæ Mariæ in Via lata, postea Presbyter, Tituli Sanctæ Ceciliæ. Obiit die 4. Septembris 1418 *ex libro diuisionum*. Ciacconus 1417.

QVINTA CREATIO.

Mense Septembris in Quatuor temporibus, anno 1408. *in Perpiniano, ex Bulla Alexandri Quinti. Ciacconus* 1409.

PETRVS de Fuxo, ex Ordine Minorum, Archiepiscopus Tolosanus, Presbyter, Tituli Sancti Stephani in Cælio monte. Decessit Auenione, Die 13. Decembris 1464.

IOANNES Murillius, Abbas Montis Aragonum Oscen. Diœc. Presbyter, Tituli Sancti Laurentii in Damaso; priuatur Cardinalatu vna cum tribus subsequentibus a Benedicto Nonis Ianuarii, anno Pontificatus 24. 25. 26. & 28. ex quo ad Martinum Quintum aduenerat. Confirmatur in dignitate Cardinalatus a Martino V. Die 1. Augusti 1418. vt in ipsius *Bulla*. Obiit Romæ, mense Nouembris 1420. *ex libro diuisionum*. Ciacconus asserit obiisse octauo Idus Octobris 1420.

CAROLVS de Vrries Sancti Georgii in Velabro Diaconus Cardinalis, confirmatur in Cardinalatu a Martino V. die prima Augusti 1418. vt in ipsius *Bulla*. Decessit Romæ, die 9. Octobris 1420. vt *in libro diuisionum*.

Alphonsus Carillius administrator Eccl. Oxomen. S. Eustachij Diac. cõfirmatur à Martino V. die 1. Aug. 1418 *vt in Bulla.* Obijt Basileę die 14. Mart. 1434 *ex lib. diuis.*

Petrus Fonseca Diaconus Sancti Angeli in foro Piscium, vulgo dictus Sancti Angeli Senior, cõfirmatur à Martino die prima Augusti 1418. *vt in Bulla.* Decessit in Vico Varonis ex scala delapsus die 21. Augusti 1422.

SEXTA CREATIO.

Mense Septemb. Die ante obitum Benedicti Anno 1424. in Panischola, ex Breue Martini V. quinto Idus Octobris Anno X.

Ivlianvs de Loba Baccalaureus, in decretis litterarum Apostolicarum Scriptor, & Abbreuiator, Camerę Apostolicę Clericus, & Papę Capellanus, Episcopus Ostieñ. cessit Titulo Cardinalatus in Panischola Die 16. Aug. Anno 1429. in manibus Petri Cardinalis de Fuxo Sedis Apostolicæ Legati. Ciacc. vocat Iulianum Dobla.

Exhiminvs Dahæ Cappellanus, & Referendarius. Curam Pœnitentieriæ gerẽs Presbyter, Tituli Sancti Laurentij in Lucina; cessit Titulo Cardinalatus in Panischola Die 23. Aug. 1429. Præsente dicto Cardinale de Fuxo. Ciacconus vocat N. de Anche Hispanum.

Dominicvs de Bona fide Monachus Domus Beatæ Mariæ de Mantealegre Carthusieñ. ordinis, Barchinoneñ. diœcesis, Tituli Sancti Petri ad Vincula post trium annorum carcerationem renuntiauit dignitati Cardinalatus, pręsente eodem Cadinale de Fuxo Die 24.

Augusti

Augusti 1409. in Castro Panischolę.

Ioannes Carrerij Baccalaureus in legibus Archidiaconus Sancti Andreæ in Ecclesia Ruthenen. Capellanus, & familiaris Ioannis Comitis Armeniaci, Presbyter, Tituli Sancti Stephani in Cœlio monte detentus in carcere eo tēpore, quo Aegidius cessurus erat Pontificatui, & forte etiam obijt; cum in actis Cardinalis de Fuxo de eo nulla deinceps mentio habeatur, nec legatur abdicasse, sicuti cœteri Anticardinales sponte, vel coacti fecerunt.

Ciacconus in prima Creatione asserit fuisse Renunciatum Cardinalem Octauianum Vulpellium Lucensem cum Titulo Sanctæ Mariæ in Via lata: de hoc Octauiano nulla fit mentio *in Libris Sacri Collegij Cardinalium*, in quibus Cardinales nouiter creati adnotantur; *nec in Bullis Benedicti* legitur aliquando Octauianus: Ecclesiam Sanctæ Mariæ in Via lata obtinebat Petrus de Verruyo Cardinalis à Gregorio Vndecimo creatus, & Petro subrogatus est Antonius de Chalanco Cardinalis eiusdem Benedicti xiij creatus Anno 1404. quare optabam, vt author aliquis, seu documentum proferretur, a quo Ciacconus id hauserit, aliàs è Cardinalium numero debet expungi 22.

In quinta creatione asserit creatos tresdecim Cardinales, sed erratum est in numero, vt enim legitur in actis *Concilij Pisani sessione 15. & 17. & Bulla Alexandri Quinti:* Quorum authoritate abrogantur creationes Cardinalium creatorum à Benedicto 13. vel Gregorio xij: Benedictus quinque tantum Cardinales supra positos creauerat in Perpiniano.

Asserit

Asserit Petrum Rauarium Archiepiscopum Tolosanum, & Petrum de Fuxo Archiepiscopum Tolosanum esse duos distinctos Cardinales eodem die creatos, sed hunc credo esse Petrum de Fuxo, qui erat Archiepiscopus Tolosanus, non enim verisimile est duos eodẽ Pseudopontifice, & die fuisse Archiepiscopos Tolosanos, præsertim cum Petri Rauarij nulla fiat in *Libris* Sacri Collegij, & *Bullis* eiusdem Pontificis mentio, & *Index* citatus in additione Ciacconi, qui inter Cardinales creatos à Benedicto enumerat Petrum Rauarium, omittat Petrum de Fuxo; quare credebam vnũ, eumdemque esse Cardinalem.

Num. 12. Collocat N. Archiepiscopum Rossanessem incerto nomine inter Cardinales.

Num. 21. Iordanum Hispanum.

Num. 22. Antonium Venenz Hispanum Episcopum Legionensem, sed sine authore.

Num. 23. locat Ioannem de Armeniaco Gallum Archiepiscopum Rothomagensem, sed hunc crediderim eumdem esse cum Ioanne Carrerio, qui erat familiaris Comitis Armeniaci, & sequutus fuit semper Clementem Octauum, nec legitur cessisse titulo Anticardinalatus, aut quo loci decesserit.

MARTINVS Carillius in historia Sancti Valerij affirmat Raimundum de Anignone Abbatem montis Aragonum Episcopum Illerdeñ. fuisse creatum Cardinalem à Benedicto xiij. & fuisse sepultum in Ecclesia Sãcti Dominici in Ciuitate Auenionensi; fides sit penes authorem.

PETRVM

PETRVM de Luna in Concilio Constantiensi depositum deseruerunt Ioãnes Tituli Sãcti Laurentii in Damaso Presbyter, Carolus Sancti Georgij ad velum aureum, Alphonsus Sãcti Eustachij, Petrus Sancti Angeli Diaconi Cardinales, qua propter eos tanquam conspiratores, & reos criminis læsę Maiestatis bonis, feudis, dignitatibus, & Cardinalatu priuauit, vt in *Bulla* data Panischolę Nonis Ianuarij, Anno sui Pontificatus 24. qui correspondet 1418. insuper Ioãnem de Brunhaco Ostiensem Episcopum, Petrum de Frigidis dictum de Hispania Tituli Sanctæ Praxedis Presbyterũ, Amodæum de Saluteis Sanctæ Mariæ Nouę, Ludouicum de Barro Sanctę Agathæ, Antonium de Chalanco Sanctæ Marię in Via lata, Ludouicum de Flisco Sãcti Andriani Diaconos Cardinales, omnesque alios Constantię congregatos declarat reos lęsæ Maiestatis, & dignitatibus, & Cardinalatu priuat, vt in *Bulla* lecta Feria quinta in Cœna Domini, nono Kalendas Aprilis anno 24. quam annis sequentibus repetijt.

CLEMENS

CLEMENS OCTAVVS, Pseudopontifex.

Aegidius Sanctij Munionis Decretorum Doctor de Serrania Aragoniæ oriundus eligitur à duobus, vel tribus Pseudocardinalibus ante diem obitus sui à Benedicto xiij. creatis, in Pseudopontificē Clementem viij. anno 1424.

Die 18. Maij anno 1416. solemniter Coronatur in Panischola, aliàs Roccha de Truena.

In die Beatæ Annæ dicato 26. Iulij 1429. in eodem loco abdicauit coactus, fuitque creatus Episcopus Maioricen.

Die 26. Iulij 1429. Eadem die, qua Pontificatu deijciendus erat, assumpsit duos in S. R.E. Anticardinales; hi sunt.

FRANCISCVS Rouira Decretorum Doctor Canonicus Maioricen. & Promotor negociorum Regię Curię Aragoniæ, qui consentiente Petro Cardinali de Fuxo, Sedis Apostolicæ Legato, dignitatem Cardinalatus suscepit, cum Tit. Sancti Clementis, sed illi libens, & volēs, cessit die 16. Aug. 1429.

AEGIDIVS Sāctij Munionis iunior Baccalaureus, in Decretis, prçcētor, & Canonicus Eccl. Gerūdeñ. Diac. S. Marię in Cosmedin; cessit Tit. Cardinalatus die 16. Aug. 1429. Hęc ex actis Legationis Petri Cardinalis de Fuxo, Sedis Apostolicæ ad partes Aragoniæ Legato, pro Schismate tollendo.

Ciacconus in additione recenset Iulianū de Loba, Eximinum Dahæ, & Dominicum de Bona spe, vti creatos à Clem. VIII. sed labitur additio; prædicti enim tres Anticardinales recensentur quidem in actis dictæ Legationis Card. de Fuxo, sed non vti creati a Clemente Octauo; rursus ijdem Anticardinales recensentur à Ciacc. vti creati à Benedicto XIII. poterant igitur eorum nomina semel expungi.

MARTINI

MARTINI QVINTI VITA

Ex legitimis Documentis collecta.

AVTHORE

FELICE CONTELORIO

Archiuii Apostolici Vaticani

PRAEFECTO.



ROMAE,

Ex Typographia Andreæ Phæi. M. DC. XLI.

SVPERIORVM PERMISSV.

Eminentiſs. & Reuerendiſs. PRINCIPI, D.

D. HIERONYMO

Sanctæ Mariæ in Coſmedin
Diacono Cardinali

DE COLVMNA,

Et Archiepiſcopo Bononienſi.

FELIX CONTELORIVS F.



ARTINI QVINTI de COLVMNA, Summi PONTIFICIS, res geſtas ex pluribus Sedis Apoſtolicæ voluminibus deſumptas paruo complexus ſum libello; ipſa ferè litterarum Apoſtolicarum verba cenſui retinenda, cum partes Relatoris agerem, non Oratoris. Qui ſententiarum lepores, verborum lenocinia, & orationis floſculos deſiderat, aliò vertat oculos, hic ſine lenocinio, & fuco, nudaque veritas exhibetur; Hanc cum à te (PRINCEPS EMINENTISSIME) in Bibliotheca Vaticana perquiri intellexiſſem, cum Romam ex Hiſpanijs rediſſes, Centonem compoſui, quem offero, & dico. Vale.

Documenta ex quibus Martini V. Vita desumpta est.

Acta Concilij Constantiensis manuscript.
Concilium Constantiense impressum.
Regestra Bullarum, & Breuium Martini V.
Manualia Instrumentorum Cameræ Apostolicæ.
Capitula Cardin. Camerarij cum stipendiarijs.
Libri Officialium Romanæ Curiæ, & Thesaurariæ Apostolicæ.
Liber participationum, seu diuisionum de minutis seruitijs S. R. E. Cardinalium.
Acta legationis Petri Tituli Sancti Stephani in Cælio monte, Presbyteri Cardinalis de Fuxo.
Consistorialia, seu Diarium sub Martino V.
Diarium rerum Florentinarum ab anno 1406.

VITA
MARTINI QVINTI.



NEmini, poſt hominum memoriam, pulchrius, & honorificentius virtutis, ac pietatis teſtimonium à mortalibus datum fuiſſe conſtat, quàm Odoni Sancti Georgij ad velabrum Diacono Cardinali de Columna, qui in Concilio Conſtantienſi, cum vir optimus quæreretur, totius Reipublicæ Chriſtianæ conſenſu, & propenſiſſimis ſuffragijs Romanus Pontifex renunciatus, expectatam de ſe opinioné, virtute, pietate, Religione, gratia, liberalitate, ac magnitudine ſuperauit. Etenim tribus de Pontificatu Maximo certantibus, quinto idus Decembris 1413. Ioannis Vigeſimitertij auctoritate conuocatum eſt Conſtantienſe Concilium, a quo poſt eiuſdem Ioannis abdicationem, admiſſamque Gregorij Duodecimi renunciationem, ac Benedictum Decimumtertium
deiectum Pontificatu, ſtatutum eſt die 30. Octobris (Ex Concilio Cõſtant. ſeſſ. 40. & 41.)
Anno 1417. vt ea vice duntaxat ad electionem Romani Pontificis; ſex Prælati, vel honorabiles perſonæ Eccleſiaſticę in Sacris Ordinibus cõſtitutę è nationibus Italica, Gallica, Germanica, Hiſpanica, Anglica in eodem Concilio præſentes, quas Natio quælibet infra decem dies elegiſſet, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus
adiungerentur. Die igitur Lunæ, octaua Nouembris (Ex actis Cõc Cõſtã. in Vatic. n. 5598)
eiuſdem

eiusdem Anni, hora tertia post meridiem solemni ritu, Domum super lacu Constantiæ positam pro Conclaui paratam ingressi sunt vigintitres ex vigintisex, qui tunc superstites erant Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales.

Ex libro Officialium Romanæ Curiæ sub Mart. V. Pontifice, ex iisdem actis, & ex Cōcil Constant. & ex lib. par tiū p.

IOANNES Episcopus Ostieñ. & Veliternus, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarius, dictus Viuarieñ.
ANGELVS Episcopus Prænestinus, nuncupatus Laudeñ.
PETRVS Episcopus Sabinus, de Hispania.
IORDANVS Episcopus Tusculanus de Vrsinis.
ANTONIVS Episcopus Portueñ. Bononieñ.
FRANCISCVS Sanctæ Crucis in Hierusalem, Venetiarũ
IO. DOMINICI Tituli Sancti Sixti, Ragusinus.
ANTONIVS Tituli Sanctæ Susannæ, Aquileieñ.
GABRIEL Tituli Sancti Clementis, Seneñ.
BRANDA Tituli Sancti Clementis. Placentinus.
ANGELVS Tituli Sanctorum Marcellini, & Petri, Veronensis.
PETRVS Tituli Sancti Chrysogoni, Cameraceñ.
THOMAS Tituli Sāctorum Ioannis, & Pauli, Tricariceñ.
ALAMANDVS Tituli Sancti Eusebii, Pisanus.
GVILLELMVS Tituli Sancti Marci, dictus Sancti Marci.
ANTONIVS Tituli Sanctæ Ceciliæ, de Chalanco.
SIMON Tituli Sancti Laurentij in Lucina, Remeñ.
PETRVS Tituli Sancti Stephani in Cęlio monte, de Fuxo.
LVDOVICVS Tituli Sancti Adriani, de Flisco.
RAYNALDVS Tituli SS. Viti, & Modesti, de Brancacijs.
AMEDAEVS Tituli Sanctę Marię Nouæ, Salutiarum.
OTHO Tituli Sancti Georgij ad velum aureum, de Columna.

LVCIDVS Tituli Sanctæ Mariæ in Cosmedin, de Comitibus, ac triginta ex Nationibus electi.

Ex Italica.

BARTHOLOMEVS Archiepiscopus Mediolaneñ.
FRANCISCVS Episcopus Melfien.
HENRICVS Episcopus Feltreñ.
IACOBVS de Campo electus Penneñ.
LEONARDVS S. Theologiæ Magister Generalis Ordinis Prædicatorum.
PANDVLPHVS de Malatestis Archidiaconus Bononieñ.

Ex Gallicana.

IOANNES Patriarcha Constantinopolitanus. Ex actis Cōcil.
GVILLELMVS Archiepiscopus Bituriceñ.
IACOBVS Archiepiscopus Turoneñ.
IOANNES Episcopus Gebenneñ.
ROBERTVS Abbas Cluniacensis.
GVALTERVS Crassi Prior Rhodi, Decretorum Doctor.

Ex Germanica.

IOANENES Archiepiscopus Rigeñ.
NICOLAVS Archiepiscopus Gneznen.
SYMON Episcopus Tragurieñ.
LAMBERTVS de Stipite Prior de Belcheya, Diœces. Leodiensis, Ordinis Cluniacensis Decretorum Doctor. Ex eisdem Conc. actis.

NICO-

NICOLAVS de Diuhthespuhel Canonicus Ecclesiæ Collegiatæ omnium Sanctorum, aliàs Sancti Stephani Viennæ.

CONRADVS de Susato Præpositus Dulnisen.

Ex Hyspanica.

DIDACVS Episcopus Conchen̄.

NICOLAVS Episcopus Aquen̄.

IOANNES Episcopus Pacen̄.

PHILIPPVS de Medalia Doctor in Sacra Pagina.

GVNDISALVVS Garsiæ Archidiaconus de Bremesca Burgen̄. in Decretis Doctor.

VALESCVS Petri V. I. Doctor.

Ex Anglicana.

RICARDVS Episcopus Londorien̄.

Ex eisdē actis manuscrip. NICOLAVS Episcopus Bathonien. & Vvellen.

IOANNES Episcopus Conuentuensis, & Lichfeldiensis.

IOANNES Episcopus Notuuicensis.

THOMAS Abbas Sanctæ Mariæ Eboracen̄.

THOMAS Prothonotarius, & Decanus Eboracensis.

Ex actis Concil. manuscr. Sacris peractis die Mercurij, ventum est ad secretum Scrutinium: &, Schedulis apertis, cognitum est Patres vsos fuisses multiplici verborum forma, scriptum enim erat in aliquibus Syngraphis. Ego nomino, & eligo in Romanum, & Summum Pontificem N. & in casu in quo non erit, nomino, & eligo N. In

alijs.

alijs. Ego nomino, & eligo N. & N. & N. Et alij aliter. Die Iouis XI. eiusdem Mensis, publicato scrutinio, nūmerata sunt, pro Ioanne Cardinali Ostiensi, vota vndecim ex Cardinalibus, tria ex Natione Gallicana, quinque ex Hyspanica, vnum ex Germanica. Pro Francisco Cardinale Venetiarum, vota decem ex Cardinalibus, duo ex Italica, tria ex Gallica, vnum ex Hispanica. Pro Amodeo Cardinali Salutiarum xij. ex Cardinalibus, duo ex Italica, tria ex Gallica, vnum ex Germanica, quinque ex Hyspanica. Pro Cardinali de Columna octo ex Cardinalibus, quatuor ex Italica, vnum ex Gallica, tria ex Germanica, duo ex Hyspanica, sex ex Anglica. Ioannes Episcopus Gebēnensis inter alios votis plurium exoptabatur.
Post hæc progredientes ad accessum Alamandus Cardinalis Pisanus statim accessit ad Cardinalem de Columna, verum huius voti nullam habendam esse rationem Patres edixerunt, nisi per schedulam sua manu scriptam, vt moris est, accederet; perlectis igitur schedulis, constitit, ad Cardinalem de Columna ex qualibet Natione quatuor ad minus, ac septem alios Cardinales accessisse, Guillelmus Sancti Marci, ac Petrus de Fuxo Cardinales, qui nulli accesserant electionem Oddonis, cui vnicum deerat, ex Cardinalibus votum, in eorum arbitrio positam suspiciebant, & inuicem alloquentes, quid agerent incerti, tandem cum omnium ora ad se conuersa conspicerent, & nos duo (inquit Cardinalis Sancti Marci) ad consumationem huius operis, & vnionis Ecclesiæ accēdimus. Ac Oddonem in Summum Pontificem

ſalutarunt, qui Martinus V. quoniam in feſto Beati Martini fuiſſet electus, voluit nominari.

Igitur ſtatim leuatus eſt in Altari, eademque die, comitantibus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, cęterisque Electoribus, ac Pręlatis, & Sigiſmundo Romanorum Imperatore, ad Eccleſiam Maiorem Ciuitatis Conſtantienſis ſacro ritu deductus; & cũ ſolénitate (vt aiunt) inthronizatus die Dominico 21. eiuſdem menſis, poſtquam decimatertia die, per Cardinalem Oſtienſem fuiſſet in Presbyterum ordinatus adhibitis de more ſolemnitatibus, præſente Imperatore, ante Conſtantienſem Eccleſiam ab Amodeo Cardinale Salutiarum Sanctæ Mariæ Nouæ Diacono Coronationis inſignia ſuſcepit, demum à Sigiſmundo Imperatore dextera, & Federico Marchione Brandeburgenſe læua, equi frenum tenentibus, deductus cũ numeroſa populi multitudine, & Sacro Cardinalium cœtu, & Sanctæ Synodi Prælatis, ad Monaſteriũ Sancti Auguſtini ſe recepit.

Ex actis Concilij Cõſtan.

Intereà, dum per vniuerſum Terrarũ Orbem nouæ electionis rumor, & ſedati ſchiſmatis fama diffunditur, Sanctiſſimus Pontifex Pacis Eccleſiæ ſtudioſus Conſtantienſe Concilium proſequi ſtatuit, & eodem approbante Concilio; Sigiſmundum Romanorum Regem, qui Balthaſsarem, vſus opera Ludouici Ducis Bauariæ, & Comitis Palatini Rheni per biennium, & penè ſex menſes ſub fida cuſtodia tenuerat, ab huiuſmodi onere liberauit, & Henrico Epiſcopo Vvintonieñ, & Conrado de Suſato Præpoſito Eccleſiæ Sancti Cyriaci Dulniſeñ. Subdiacono, & Paulo de Ca-

Seſsione 42.

5. Kalendas Ianuarij an. 1

pranica

pranica litterarum Apostolicarũ Scriptori tradi iussit, & postquam fuisset traditus, iterum sub eiusdem Ludouici custodia detineri, quem deinceps à Ioanne Episcopo Lubriceñ Ferrariam, vbi tunc Pontifex morabatur, deduci præcepit, mores Ecclesiasticorum, & Secularium in melius commutare satagens, habita Sessione 43. exẽptiones, longo durante schismate, concessas, in iurisdictionis Episcopalis detrimentum reuocauit: Vniones verò Ecclesiarum ad petitionẽ eorũ quorum interesse statuit reuocandas: Fructus Ecclesijs vacantibus prouenientes illis, quibus de iure, aut consuetudine debentur, reseruauit; dispensationes datas electis ad Ecclesias Abbatibus, aut prouisis de beneficijs, ne munus consecrationis, aut Benedictionem, vel ordinem beneficio annexum susciperent aboleuit; Constitutiones, quæ prohibent, vt nullus præter Pontificem indicat Decimas Ecclesijs, aut personis Ecclesiasticis, confirmauit; ac decreuit, ne in posterum Decima toti Clero, nisi pr[illegible]iuersalis Ecclesiæ causa, & de consensu Cardinalium, nec specialiter in aliqua Prouincia, nisi consultis illius Prouinciæ Prælatis, imponerẽtur; ea, quę iura circa vestes, tonsuram, in formis, & coloribus & circa comam, vitamque, & honestatem Clericorum statuunt, tam in sæcularibus, quam in Regularibus, innouauit; Sessione 44. inhærens decreto eiusdem Concilij, in quo cauebatur, vt Concilia Generalia celebrarentur in loco quẽ summus Pontifex per mensem ante finẽ Concilij designasset, ijsdem Patribus approbantibus, pro Concilio imposterum celebrando, Papiensem Ciuitatem elegit.

Quinto Idus Ianuarij.

Idus Februarij an. 2.

Die Lunæ 21 Martij 1418. In Cõc. Cõst.

13. Kal. Mai

elegit. Demum; conuocata sessione 45. die 22. Aprilis, præsente Sigismundo Rege Romanorum, Imperialibus insignibus induto, Martinus Quintus decreta Concilij in materijs fidei confirmauit, ac Vbaldo Sancti Viti in macello Diacono Cardinali, de eiusdē Concilii mandato, pronunciante hæc verba. *Domini ite in pace;* omnibus ad proprios lares facultas remeandi data est.

Interim exemplum Imperatoris secuti Germaniç Principes, & Archiepiscopi Electores, & inter cæteros Raynaldus Dux Iuliacensis, & Gelriæ, & Comes Zurphamen, qui in litteris obedientiæ, & congratulationis *à Domo Columnæ* (sunt verba litterarum) *antiqua, & excelsa Romana stirpe*, claram detulisse fatetur originem, Martinum Quintum in Christi Vicarium, verumque Pontificem, recognouerunt, sicuti postmodum Reges Francorum, Angliæ, Poloniæ, Castellæ, Aragonum, Siciliæ, Daciæ, Nauarræ, & Cypri obedientiam præstiterunt.

In eiusdē litteris scriptis ad Pontificē in die B. Luciæ.

In Bulla Kalē dis Martii anno 9. & nonis Martii.

Sigismundus, Germanique Proceres, vt in Germania aliquandiu moraretur, Galliarum Rex, vt in suum Regnum secederet, rogabant. Hinc Religio, hinc Principum vrgebant preces: vicit tamen Religio, vt ad antiquam Pontificum Sedem, & Reipublicæ Christianæ tutissimam arcem iter dirigeret. Die itaque 16. Maij anni 1418. Martinus Quintus Constantia recessit, ac Die 5. Iunij, per Biernam Castrum Lausanensis Diœcesis transiens, in Monasterio Fratrū Prædicatorum aliquot diebus quieuit. Die vero vndecima Iulij, solemni pompa; & acclamante Populo, in Ciuita-

Ex libro diuisionum, seu participationū S. Collegii In Manuali Rodulphi Rolcig. Cam. Apost. Not. Ex lib. partic. & in Man. d. Rodulphi.

Ciuitatem Gebennensem est ingressus, vbi Oratores Auenionenses obuiam profecti, fidelitatis præstitere iuramentum. Hinc Die tertia Septembris abiens, ac Segusium, & Taurinum iter faciens, Mediolanum ingreditur, vbi perbenignè, ac splendidè susceptus, altare Maius Ecclesiæ Metropolitanæ consecrauit; & Die Martis 25. Octobris, vndecim Cardinalibus comitantibus, Mantuam peruenit. Dum hic Curialium quieti consulit, Galliæ Regem ad pacem hortatur, & Amodeum Sanctæ Mariæ Nouæ Diaconum Cardinalem ad eum Legatum de latere mittit; Philippus autẽ Dux Mediolani, & Pandulphus Malatesta, tunc Bergomi, & Brixiæ Dominus, de Castris, et oppidis in vicem digladiantes pacem à Pontifice tanquam arbitro petunt; quam Die 19. Ianuarij 1428. Florentiæ consecuti sunt: Die septima Februarij Mantua egreditur, Ferrariam transijt, ac ad Monasteriũ Sancti Salui prope Florentiam aduenit, vbi Capitanei partis Guelfæ albũ Equum serico rubro tegmine coopertum cum frænis auro, argentoque lucentibus obtulerunt. Hinc ad Sanctum Gallum obuiam habuit delectos Reipublicę Florentinæ primates, supra eius caput mappulam sustollentes, ac Reipublicæ Administratores cum maxima Equitum multitudine, Iudices, Mercatorum societatem, cæterosque Ciues, & Populum. Vbi verò die Dominica 26. Februarij propè Vrbem stetit, Domini Ciuitatis, sub alia mappula auro ditissima, armellini pellibus ornata, Pontificem equitantem receperunt.

In instrum. x. manuali eius. dem

In eodẽ manuali.

Ex Inscript: in eodẽ altari.

In eodẽ manuali Rodulphi.

xi. kalẽd. Ianua. an. 2.

24. Nouembris 1418. in Instrumento Petri Scalpipe Notarij Camerę Apostolicę.

In eodẽ manuali.

Ex diario rerum Florentinarum ab ann. 1406. ad 1439.

Diarium, & liber Participat. & manuale Rodulphi.

Præcedebat Ciuitatis Clerus, solemni cultu reliquias deferens,

ferens, ſubſequebantur Ciues, Equites, Iudices, cæteraque nobilitas, hinc Crux Pontificia, & Sanctisſimum Euchariſtiæ Sacramentũ deferebatur, poſt Cardinales Pontifex medius inter Ciues nobilitate præſtantes ætate feruidos, inceſſu graues, vultu decoros, veſtitu ſplendidos, capita laureatos, oliuam manu deferentes equitabat. Progrediens igitur per Burgum Sancti Laurentij, & propè flumen Paleæ in Eccleſiam Sanctæ Mariæ de Flore, per tabulatũ pannis ornatum ſericis ob dignitatem Pontificis à Ciuibus erectum, ingreditur, factaque oratione, Populum benedixit, Equum rurſus aſcendens ex baliſtrariorũ via ad Magalottos per Plateam Dominorum, per Vaccherecciam, per Portam Sanctæ Marię, per Burgum Sancti Apoſtoli ad Sanctum Sixtum, & inde recta ad Plateam Sanctæ Mariæ Nouellæ, vbi in ſecundo clauſtro deſcendit ex equo, quem cum Populi Capitaneus vellet aſcendere, Dominorum Miniſter præcipuus anteuertit, & ad Palatium eorumdem deduxit.

Confluebãt ex vicinis Ciuitatibus, & Caſtris verũ Chriſti Vicarium, & vnicum Eccleſiæ Caput veneraturi Ciues, & Duces, inter quos Magno cum Equitatu Plumbini Princeps, Berardus de Verano Dux Camerini, Ludouicus Alidoſius Imolæ Vicarius, Trincius de Trincijs Fulginei Dominus, & Pontificis Soror Paula nomine duabus filiabus fœminis comitata, quarũ altera paulo poſt Ducis Camerineñ. filio nupſit; aduentabant in dies, qui Pontificem, & Curiam ſequerentur, Inter quos Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, quibus cum honeſtiores Ciuium Domus aſſignarentur,

rētur, obtigit Ludouico Flisco ex Lauaniæ Comitibus Sancti Adriani Diacono Cardinali, vt reciperetur in Burgo Grçcorum in Domo Nanni, & Frācisci quōdā Maffei de Barberino, a quibus repetita longa auorum, & proauorum serie SANCTISSIMVS DOMINVS NOSTER VRBANVS OCTAVVS ducit originem.

Ex partibus etiam Aragoniæ, relicto Petro de Luna, venere Florentiam 17. Martij 1429. Ioannes Murillius Abbas Montis Aragonum, Tituli Sancti Laurentij in Damaso Presbyter, Carolus de Vrries Sancti Georgij ad Velabrum, Alphonsus Carillus Sācti Eustachij, Petrus Fonseca Sācti Angeli Diaconi Anticardinales, Kalendis Augusti Anni 1418. Gebennis in Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales recepti, seu confirmati; venit & Balthassar Cossa, olim Ioannes xxij. dum esset liber, & sui iuris, siue conscientia ductus, siuè quòd desperabat aliquid proficere posse, ac se se pedibus Martini subijciens, eum vt Pontificem verum, & vnicum recognouit; à quo Nono Kalendas Iunij eiusdem Anni 1419. in Cardinalem Episcopum Tusculanum creatus est. In libro participationum Sacri Coll.

In Ecclesia Sanctæ Mariæ Nouellæ (quam Iordanus Vrsinus Episcopus Albanensis, præsente Pontifice, vnà cum Cardinalibus, cæterisque Prælatis dedicauit) res sacra solemniter, de more, fiebat, nec deerat in actibus publicis, in quibus eius præsentia requireretur. Ensē, & pileum ad Delphinum Viennensem, per ipsius Oratorem in Curia præsentem, transmisit. Rosam vero auream, in Dominica lætare die 26. Martij 1419. benedictam Florentino Populo donauit. Hanc Thadeus Eodē Diario rerum Florētinarum, & Sacri Colleg. libro diuis.

Gherar-

Gherardinus nominē Confalonerij tunc ęgrotantis recepit, & à Ciuibus, & populo, ac quindecim Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, alijsque Prælatis associatus ad Palatium Dominorum detulit; alteram verò, die 17. Martij 1620. Comiti Vrbini in Curia præsenti largitus est Die 19. Maij 1419. Ecclesiam Episcopalem Florentinam in Archiepiscopalem erexit, & Pistoriensem, ac Fœsulanum Episcopos Suffraganeos attribuit. Gesta sunt hilariter omnia, si demas id temporis, quo ob receptos Oratores Bononień. à Die xi. Aprilis 1520. Ciuitate Florētina interdicto supposita, omnium Ecclesiarum clausæ sunt ianuæ; Quare Pontifex cum refrixisse cerneret belli tumultus propter pacem cum Bracchio de Forte bracchijs de Mōtone initam, quam ad pedes deuolutum ad iuramentum fidelitatis admiserat supplicante Romano Populo, ad Vrbem statuit proficisci; Re cognita, Respublica Florentina Octo Ciues elegit, qui Pontificem per vniuersam ditionem comitarentur, & splendidè, lauteque reciperent. Hi fuere Laurētius de Rodulphis, Matheus Castellanus, Pallas de Strozzis, Raynaldus Marij de Albizzis, Carolus Francisci Federici, Ioannes Bicci de Medicis, Gherardus Antonij Canegiani, Philippus de Ianis, & die nona Septembris anno 1420. tota Ciuitas, Domini cum Collegijs, solemni pompa ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ profecti sunt. Pontifex ascendit Equum, quem hinc inde Confalonerius Iustitiæ, & Præpositus fræno duxerunt, sub mappula aurea, à 24. Ciuibus delata; Descendit ad Ecclesiam Sancti Egidij, & consecrationem illius à Nicolao Albergato Episco-

Ex lib. diu. S. R.E. Card. & Bulla 3 Kalē. Maii anno 2. Ex instrumēto libro 3. diuersorum

24. Februarii 1420

14 Mart. 1420 ex instrumento in Manuali Petri Scalpicæ, & aliorū.

po Bo-

po Bononieñ. Sanctæ Crucis in Hierusalem Cardinali factam, confirmauit; Missaque celebrata, rursus conscendit in equum; Domini Ciuitatis ad Portam Sancti Petri, post blandum colloquium, recepta benedictione, substiterunt, Hinc partis Guelphæ Capitanei Equum fræno ducentes, & mappulam gestantes à Sancto Gaggio pedibus Pontifici osculatis recesserunt. Pontifex per Ciuitatem Viterbiensem iter faciens die 28. Septembris Romam tandem exoptatus peruenit, & in Ecclesia Sanctæ Mariæ de Populo pernoctauit. Die Lunæ 30. eius Mensis Senatus, & Ciues (acclamantibus omnibus Martino Papæ salus, & vita) per publicas vias aulæis splendidas domus, hilara, & fausta omnia, & nouam Vrbi faciem prænuntiantes, ad Vaticanum Palatium deduxerunt.

Nec eos fefellit opinio, vt enim cognouit primarias Vrbis Basilicas vel ruinæ proximas vel herbis obsitas, aut humi prostratas, Iordanum Episcopum Albaneñ. & Gulielmum S. Marci Presbyterum, & Raynaldũ S. Viti Diaconum Cardinales, Iacobum Episcopum Adrieñ. Frãciscum Episcopũ Traneñ. ac alios elegit, qui Ecclesias inuiserent. Visitationem Basilicę Principis Apostolorũ in spiritualibus, & tẽporalibus Antonio Episcopo Portuensi demandauit; in Ecclesia S. Nicolai in carcere Tulliano, præbendas constitutis in sacris ordinibus assignauit: in Ecclesia Fratrũ Eremitarum Ordinis S. Augustini, Corpus Sanctæ Monicæ in Vrbem ex Ostia translatum, die Palmarum anno 1430. [a] collocauit; [b] Ecclesiam Sanctæ Cæciliæ Transtiberim ordini Sancti Saluatoris, sub Regula Sancti Augustini per Beatam Bri-

Ex bulla, 4 kal. Decembris anno 6

In bulla idus Iunii ann. 12

Ex libro Breuium, & bulla, 5 kalend. Sept. anno 6

a ex Breui relato invita S. Aug. per Fr. Aug Fiuiz. collecta

b in bulla 12 kal. Aug. an. 5 lib. 4

tam Brigidam instituto, de cõsensu Canonicorum attribuit; Ecclesiam Collegiatam Sanctæ Mariæ in Monasterio Monachis Sancti Petri ad Vincula ordinis Sãcti Hieronymi annexuit; Monasterium Sancti Andreę de via Cratica Monasterio Monialium Sancti Vrbani de Vrbe; Monasterium verò Sanctæ Catharinæ propè Sancti Petri Porticũ, ad Ecclesiam Sãctæ Mariæ Domnæ Rosæ, in Regione Campitelli, transtulit. Ceteras Vrbis Ecclesias, quæ reparatione indigerent (rationes deducente Laurentio Pauli Omnia Sãcti Ciue Romano) pecunijs ad dignitatem Pontificis conseruandam destinatis, reparauit. Porticum Sancti Petri iam collabẽtem, & duodecim Apostolorum Templum restituit. Basilicam Sancti Pauli restaurauit; Lateranensi Ecclesiæ, cuius ipse fuerat Archipresbyter, reditus Basilicę ad Sancta Sanctorum (suppressis Canonicatibus) vniuit, ac eam picturis ornauit Ecclesias pariter (licèt longo dissitas interuallo) iuxtà primæuũ Pontificum morem, paterno fouebat affectu; nam diæcesi Patraceñ. quam Theodorus Moreæ Despotus Imperatoris filius bello premebat, datis Imperatori litteris, a b omni molestia liberauit: Possessiones Monasterij S. Ebdulfi, Ordinis Sancti Benedicti Lexouieñ. Diæc. per Regem Angliæ restitui mandauit, bona Patriarchatus Aquileiẽsis, cuius titulum aliò transferre cogitauerat, a Venetis detenta vendicari præcepit. Ludouicum Seniorem Bauariæ Ducem à Branda Sãcti Clemẽtis Presbytero Cardinali Sedis Apostolicæ Legato percussum anathemate, non nisi restitutis, quę Ecclesijs Dięc. Salisburgeñ. abstulerat, ad Sacra restituit, Ca-

15 kal. Ianuarii anno 1

3 nonas Octobris anno 10 libro 1 & 3 non. Dec anno 7 lib. 1 15 kal. Febr. anno 4 In Bulla 5. idus Februarij' anno 10 & lib. Thesaurarii anno 1429

De eadem Bulla 5. idus Feb. anno 10 Eadem Bulla 5. idus Feb. Vt in Bulla kal. Ap. x. kal Maii anno 1 Ex ead. Bul. 5 id Feb an. 10 Ex Bulla kal. Dec. anno 1 14. kal. Iunii anno 6 Lib. Breuiũ

Lib. Breuium

Lib. Breuium Martini V.

5 idus Aprilis anno 9

ſtra Maglani, Caſtri Aynaldi, Caſtagneti, Montielli, Sanctæ Victoriæ, Montis acuti de Aſteſio, Sancti Stephani de Aſteſio, Montis alti de Aſteſio, Bandixerij, Publiciarum, Caſternæ, Celareughi, Cortonseri, Pleiæ, Curſambraudi, Gauoni, Paucapaliæ ſub Iuriſdictione, & proprietate Aſtenſis Eccleſię conſeruauit: Eccleſiam Narboneñ. ab omni iure primatię (ſi quod: haberet Archiepiſcopus Bituriceñ. aut Vienneñ.) exemit: Archiepiſcopo Lugduneñ. primatum ſuper Eccleſijs Rothomageñ. Turoneñ. & Senoneñ. confirmauit: Vnionem Eccleſiarum Corhagen. & Cloueñ. approbauit, Terræ Montenichi Aſteñ. Diæc. (quam Vrbanus Sextus in Ciuitatem erexerat, & Montem Regalem vocari mandauerat) Diæceſis fines, & terminos pręſcripſit: Eccleſiam Beatæ Marię de Betenturia, in Inſula Canariæ Fortis venturę, in Epiſcopalē, ſub nomine Fortis venturę, erexit: Caſtra Centi, & plebis Centi, Archiepiſcopatui Bononieñ. conceſſit, ſiue reſtituit: Ciuitatē Humanatēſē Epiſcopatui Anconitano adiecit; Salpensā verò Tranenſi ſubiecit. Super Sanctitate vitæ, & Miraculis Oſmundi primi Epiſcopi Sareſberienſis, exemplo Gregorij Noni, & xij. & ſuper miraculis Petri de Lucēburgo, olim Cardinali Tit. S. Georgij ad Velabrum, mandauit inquiri. Tandē Beatū Sebaldum de Regum Daciæ proſapia genitum, ſupplicante populo Nurembergenſi, Catalogo Sanctorum adſcripſit. Franciſco Contareno, Michaeli Mauroceno, Andreæ Condemario, Philippo, & Petro Parutę, qui ſub Regula Beati Auguſtini, abiectis Mundi illecebris, vitam ducere decreuerant, Mona-

3. Nonas Martii an. 5

In bulla 2. id. Apr. anno 1
Eadem die, & anno
Kalend. Aug. anno 1

11. Kalendas Octob. ann. 1
2 Kalē. Apr. anno 4

12. Kal. Dec. anno 7
Id. Iun. ann. 2

14. Kal. Nou. anno 5
5. idus Febr. anno 8
Idus Iulii, anno 6

5. idus Maii anno 1

7. Kalē. Sept. anno 7

14. Kal. Iunii anno 6
& 4. Kal. Apr. anno 7

ſterium Sancti Danielis in Monte, ordinis Sancti Benedicti Paduanę Dięceſis attribuit. Lupo ordinis Sancti Hieronymi ſub inſtituto Beati Auguſtini Religionis Decreta, legeſque confirmauit. Romanæ Curiæ Officialibus, tã Cancellariç Apoſtolicæ, quàm in foro verſantibus certas leges edixit, vt minori populos diſpendio fatigarent. Eccleſiaſticum Ordinem in ditione Regis Alphonſi, Prouinciali Concilio, à moleſtijs vindicauit: pronos ad malum pœnarum fræno cohibuit, recta ambulantes virtutum ſemita confirmauit; ſacro Cardinalium cœtui, vt alijs eſsent exemplo, præſcripsit has leges.

7. Id. Auguſti anno 7

kal. Septembris anno 1

In Archiuio ex Bibliotheca Vaticana.

Cardinales munditie vitæ alios præcellant, ac ſobriè, iuſtè, piequè viuant; non ſolum à malo, ſed à ſpeciè mali ſe abſtineant; pœnam in aliorum exemplum ſubituri, ſi vitam ſuo ſtatui minimè congruentem ducere comperti fuerint.

Humilitatem continuo exerceant, Prælatoſque benignè, ac honorificè pertractent, ſecundum diuerſitatem ſtatutuum eorumdem.

Domi ſuæ ſe bene præeſſe oſtendant, familiamque, tàm Clericorum, quàm Laicorum honeſtam, honeſtiſque veſtibus incedentem induant; Sacerdoteſque, ac Leuitas in teſtimonium bonum ſecum habeant.

Protectiones Regum, Principum, Comitum, aliarumque

rumque personarum sæcularium, non assumãt, aßumptasque non exerceant, ut liberius ipsi Sanctissimo in Consilijs, ac alijs actibus valeant assistere.

Pro ordinum Religionum quorũcumque, aut personarum particularium protectione nihil pecunia percipiant, etiam à sponte offerentibus.

Nullas supplicationes ipsi Sanctissimo præsentent, nisi pro pauperibus, vel pro persona sua, seu Seruitorum Consanguineorum, vel affinium, aut familiarium suorum.

Non ducant secum ultra 20. familiares Equites Clericos, & Laicos continuos Commensales, cũ ad Palatium equitant, vel se ipsos visitant, vel alio in loco conueniunt.

Non portent in præsentia Papæ Cappam, vel aliã vestem superiorem coloris rubei.

Procurent reparationem Ecclesiarum suorum titulorum, iuxta poße suũ, in ijsque diuinum cultum, per Religiosos deuotos, ac honestos Clericos, perfici, ac augeri faciant; ne Sanctorum loca, in quibus ipsi commodè residere nequeunt, per negligentiam deserta remaneant.

In Ecclesiis, ac Monasteriis sibi commendatis, abs-

que

que excusatione, congruum numerum Canonicorum, vel Monachorum pro diuinis Officijs celebrandis habeant, ædificiaque, poßeßiones, & Iura in statu conuenienti conseruent.

Optimè Reipublicæ Christianæ consultum arbitrabatur, si iuuentus in primo ætatis flore optimis moribus, ac liberalibus artibus imbueretur; ideoque Vniuersitatem [a] Salamanticeñ. latis Constitutionibus, ac Priuilegijs amplissimis confirmauit: Scholas in [b] Villa de Maiorica à Didaco Carthaginensi Præsule; & in Oppido [c] Stocholniensi, Vspaleñ. diæcesis, à Consulibus institutas; Collegium pro pauperibus Scholaribus, quod Perusijs Benedictus Episcopus Apruntinus; Papiæ, quod [d] Brãda Sancti Clementis Presbyter Cardinalis erexerat, approbauit. Gymnasiũ [e] Heidelbergę fundatũ a Ruperto Duce Bauariæ: ac [f] Auenione, quod Ioannes Episcopus Ostiensis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vice-Cancellarius instituerat, ac [g] Senense, ac [h] Pãpilonense redditibus auxit; [i] Paduanũ, & [k] Bononiense, [l] Lipizeñ. Mersiburgeñ. diæcesis [m] Catabrigringę, Elieñ. Dięc. priuilegiis decorauit: In Ciuitate [n] Nãnetẽsi Generale omniũ artiũ Gymnasiũ Ioanne Duce Brittanniæ supplicãte, & aliud in Theologia in [o] Villa Vallis Oleti, & aliud in oppido [p] Louani, & aliud [q] Dolę ad preces Philippi Burgũdiæ Ducis similiter erexit. [r] Taurinẽse ad Oppidũ Cherii transtulit, ex quo Studentiũ guttura aquarũ potu intumescebant; Romanũ verò fouit, & excoluit; ideoque in publico Capitolii [s] foro cõbusta sunt Capillamenta incantatoria breuia, quibus fœminę maximè Iuuenes allicerent, ac etiam Sortes, lasciua Cantica, &

a Kal. Martii anno 5
b 15 Kal. Feb anno 7
c 16 Kal. Iulii anno 2
d Nonis Nou. anno 1 & in Bulla Id. Aug. an. 10
14 kal. April. anno 12
e 6 idus Apr. anno 1
f 5 kal. Dec. anno 13 & 10 kal. Feb anno 10
g 9 kal. Maii anno 5 & nonis Nou. anno 1
h 8. idus Maii anno 6
i 12. kal. Apr. anno 2
k 7 Idus Iunii anno 2
10 kal. Febr. anno 1
l 2. Nonas Iulii anno 13
m 2 kal. Ian. anno 7
n 8. id. Febr. anno 1
o 5. idus Dec. anno 9
p Idus Octobris anno 5
q 5. kal. Aug. anno 10
r Ex Diario tunc temporis.

ca, & Lusoriæ tabulę, vt quos virtutis non mouerent premia, reorum supplicia deterrerent.

Omnem adhibuit diligentiam, vt Petrus de Luna in Constantiensi Concilio dānatus, vel insignibus Papalibus cederet, vel in suā redigeretur potestatem; Vtebatur Principū gratia, vt Alphonsum Regem Aragonū, qui schisma fouebat, quēq; monitis, & litteris rogabat, ad semitā reduceret veritatis. Ioanni Regi Castellę, & Legionis, Fratri eiusdem Alphonsi, qui maximè pro pace laborauerat, Sūmā 80. millia Florenorū à Clero sui Regni exigendā in recompēsationē cōcessit, & Eleonorę eius Cōiugi magnos reditus attribuit. Alemannum S. Eusebij Presbyterū. Cardinalem ad Aragonię, Valētię Nauarręque Regna, & Insulas Minoricam, & Maioricam Sedis Apostolicæ Legatum transmisit; eique facultatem dedit, vt fœdus cum quocumque Principe ad Paniscolæ expugnationem iniret; Verùm, vt cognouit Alphonsum, neque monitis, neque precibus flecti posse, nisi Regnum Sicilię eiecta Ioanna secunda Regina, traderetur, gladio manum admouit.

in Bulla 15 kalend. Maii anno 1

3 Nonas Ian. anno 1 & 10. kalend. Sept. eod. an. In bulla dat. Costantiæ, kalen. Ianuarii anno 1

Ioannem igitur Bernardi Comitis Armeniaci primogenitum Petro de Luna adhęrentem, vt personaliter in Romana Curia compareret, monuit; & postmodū eumdem vti contumacem, & Bonam eius Matrem excōmunicatos, & schismaticos declarauit. Gundisaluum Episcopum Placentinum Episcopatu deiecit. Guidonem Flandrinum Sedis Apostolicę Notarium, & Ioannem Carrerium Canonicum Ruthenē. Eximinum Dahę Anticardinales Petro adhęrentes anathemate percussos, aliosque omni dignitate priuauit.

In Bulla, 13 kal. Iun. an. 9 & idus Dec. anno 2 & 10. kal. Ianuarii ann. 6

6 nonas Octobris anno 5

5 kal. Septēbris anno 4

Ad

idus Aprilis anno 3

Ad expugnationem Arcis Paniſcolę, in qua Petrus ſe munierat, cruciatam indixit; eamque in Regnis Aragonię, Valentię, Nauarrę, Caſtellę, Inſuliſque Maiorica, & Minorica publicari per Concionatores mandauit, expeditioniq; pręfecit Petrum Sancti Angeli Diaconum Cardinalem, tunc in Conſtantinopolitano Imperio Legatum: Mariam Aragonum Reginam, ad obſidionem Paniſcolę inflãmatam, monitis in eius auxilium primarijs Regni, Pręlatis vehementius incitauit. Defuncto Petro de Luna, à duobus Anticardinalibus, qui dicebantur ab eodem Petro paulò ante eius obitum creati, aſſumptus eſt in Antipapam Aegidius Munionis, procurante Rege Alphonſo; Hinc Martinus zelo fidei accenſus hortari, monere, increpare Regẽ, vt ſchiſmatis reliquias tolleret; erat enim (vt ipſe Pontifex loquitur) contagio illa paucorum, quos vel propria peruerſitas, vel olim dicti Petri indigna commiſeratio, vel non debita in tali caſu pro ſuſceptis beneficijs gratitudo, vel falſa quędam imago pietatis in errore, & eius obſequijs detinebat lõgè arcẽda à finibus Regnorum, vel potius extinguenda; Trãſmiſit igitur ad Regnum Aragoniæ Petrum Sãcti Stephani in Cęliomonte Presbyterum Cardinalem de Fuxo, Sedis Apoſtolicæ Legatum, vt Eccleſiæ vnionem curaret, cum Alphonſo pacis conditiones iniret, qui cum tutum non videret ingreſſum, Auenione ſubſtitit. Deinde ad Caſtrum Origliani progreſſus, inde peculiares Nũtios direxit ad Regem; vt diem eligeret quo illum alloqueretur, & cum ſe blandis verbis detineri intelligeret, pœnas contra eos, qui Legatos Sedis

Libro Breuium

Eodem libro Breuium

Lib. Breuium Acta legationis eiuſdem Petri

Apoſto-

Apostolicę impediunt, promulgauit. Dum hęc agerē-tur Pontifex, vt Ecclesiasticam iurisdictionem tueretur, has litteras in Vrbe iussit affigi &c.

Martinus &c. Ad futuram rei memoriam, Regnans in sæcula sempiternus, & sanè cum dudum per inueteratum horrendumque schisma, vna tota Romana, & Vniuersalis Ecclesia, Corpusque vnum in Christo credentium sub capite triplici monstruosè diuisa diuiderentur, tantaque fuisset, & esset vnionis difficultas, vt in triginta sex annis, & amplius, nullo humano ingenio, vnio, licèt multis Principū, & Prælatorum quæsita laboribus, potuerit inueniri; Tandem Domino Sanctæ Ecclesiæ vnicæ Spōsæ miserante, & operante Spiritu suo ad tollendum de Ecclesia Dei, tamdetestabile Mōstrum, congregatum est de omni Regno, Natione, & Statu in Christi credentium generale Constantiense Concilium, quòd vniuersale, & tādem vnitam in se Dei repræsentauit Ecclesiam; in quo primum subditis duobus Capitibus cum super damnatæ memoriæ Petrum de Luna, qui Benedictus decimustertius in sua obediēti a dicebatur, totum schismatis pondus existeret, prædictum Generale Concilium contra eumdem Petrum obstinatum, & pertinacem in Schismate ritè procedens ipsum schismaticum, & Hæreticum notorium ab

Ecclesia Dei præcisũ, omnique iure, quod in Papatu prætendebat; & omni honore, & dignitate priuatũ sententialiter declarauit, & ex abundanti cautela priuauit; prout in eadem Sententia, quæ carissimo in Christo filio nostro Sigismundo Romanorum, Vngariæ, & Bohemiæ Regi Illustri in eodem Cõcilio, cum grandi multitudine Principum, & Ambasciatoribus, & Procuratoribus solemnibus carissimorum in Christo filiorum nostrorum aliorum Regum Christianorum, & specialiter Alphonsi Regis Aragonum, dilectorum filiorum, Ducum, Comitum, Baronum, Vniuersitatum, & Communitatum, in multitudine copiosa personaliter constitutis, & de eorum consensu lata extitit. postquam in eodem generali Concilio fuimus ad summi Apostolatus apicem in vnicum Romanum Pontificem diuina fauente clementia concorditer electi, & assumpti, in qua electione aliqui ex dictis Alphonsi Regis Ambasciatoribus in Conclaui cum Ven. fratribus nostris omnibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus in dicto Concilio præsentibus, & tã Prælatis, quam aliis de omni Natione Christifidelium per idem Concilium ad hoc deputatis eligentes concorditer assumpserunt, atque in vnicum Summum & Romanum Pontificem per idem Generale

Conci-

Concilium, & subsequenter per omnes Reges, & Regna, atque Prælatos, & Vniuersalem Ecclesiam in omni Natione Christifidelium, etiam per eumdem Alphonsum Regem, & Regna sua, atque Dominia recepti, Idemque Alphonsus Rex per suum proprium specialem Ambasciatorem, & Procuratorem ad hoc speciale Mandatum sub Regio sigillo habentem, in publica dicti Concilij sessione, post præstitã nobis reuerentiam, & obedientiam tanquam vero, & indubitato Papæ, à nobis humiliter postulauit quatenus eidem infeudationem Regnorum Trinacriæ, Sardiniæ, & Corsicæ insularũ ad nos, & Romanam Ecclesiam pertinentium concedere dignaremur, offerendo nobis, tanquam vero, & indubitato Pontifici pro dictis Regnis, Terris, & Insulis nomine dicti Regis homagium, & fidelitatis iuramentum, & postquam infeudationem eamdem sub certo, & consueto Censu dicto Regi, vt præfertur, concessimus, idem Procurator ad hoc de nostra gratia speciali, cum idem Rex iurare personaliter teneretur pro ea vice per nos admissus in manibus nostris in eadem sessione publica pro Regno Trinacriæ, & subsequenter pro Sardinia, & Corsica, & solemniter nomine dicti Regis homagium ligium, & plenum Vaßallagium præstitit, & in Animam

eiusdem Regis fidelitatis Iuramentum, Et insuper memores cum quanta cura sollicitudine, & diligẽtia Claræ memoriæ Fernandus Rex Aragonum eiusdem Alphonsi genitor non parcens laboribus, et expensis in propria persona dum viueret unionem Ecclesiæ fuerat prosequutus, eidem Alphonso præfati Fernandi Regis hæredi omne debitum Nobis, et Romanæ Ecclesiæ ratione Cẽsus pro dictis Regnis, & Insulis, quod ad magnas, & graues pecuniarũ summas ascendebat, pro toto tempore præterito, atq; pro quinqennio tunc futuro, & iam diu elapso liberaliter, & gratiose remisimus; postmodũ idem Alphonsus volens se obedientissimum, & deuotum Romanæ, & Vniuersalis Ecclesiæ, nostrumque filium, & eiusdem Romanæ Ecclesiæ fidelem Vassallum ostendere, & quamuis post assumptionem nostram prædictam in Romanum, & Summum Pontificem idem Rex, vt asseruit, & verum est per suos Ambasciatores, & alias obedientiæ, & obseruationis debitum impendisset famulatum, nosque pro vero Christi Vicario, & indubitato Summo Pontifice reputasset, et reputaret, tamen, vt detrahẽtium, et obloquentium quorumcumque ora, et linguæ aspideæ, quæ nimis aures Dominorum solitæ sunt afficere, obmutescerent, illorumq; ab in-

de

de cessarẽt eloquia meditata in sua bona fide regia promisit, et iurauit super Crucem Domini Nostri Iesu Christi, et eius Sancta Quatuor Euangelia, eorumque Sacrosanctis Scripturis manibus suis corporaliter tactis, quod per se, et omnia sua Regna, Vassallos, Populos, et Subditos, qui erãt, et pro tempore forent semper nobis tanquam vero, et indubitato Christi Vicario plenè obedirent, et per dicta Regna Terras, Populos, Subditos, et Vassallos suos citra, et vltra Marinos obedire faceret dictique Populi, Vassalli, et Subditi obedirent, et fideles essẽt aliumque præter nos in Papam, seu Christi Vicarium non reputarent, prout hæc in dicti Alphonsi Regis litteris sub bulla sua plumbea solita armorũ Aragonum nobis per eum transmissa plenius continet. Verum multorum, et sæpe frequentibus insinuationibus ad nostram obedientiam, fama etiam publica referente, perlatum est, quòd idem Alphonsus præfato Petro de Luna Schismatico, et hæretico, atq; ab Ecclesia Dei præciso declarato, et nominato adhuc tamẽ pro Papa segerẽti pluribus annis, et vsque ad eiusdẽ Petri obitũ adhæsit, et post eiusdẽ Petri decessũ cũ quidã perditionis filij se fingerẽt ab eodẽ Petro dãnato Paulo ãte eius obitũ factos, immò verius profanatos Cardinales, quidã perditionis

filius

filius Aegidius Muntonis de Regno, & ditione dicti Alphonsi Regis oriundus, & inibi moram trahens, procurante illo, qui conatur ab initio ruinæ suæ vnitatem rescindere, charitatem vulnerare aduersus Sanctã Dei Ecclesiam, & illius vnitatem, superbè ceruicem erigens, se per dictos fictos Cardinales in Papam, & Romanum Pontificem eligi, immo verius profanari procurauit, & se Clementem Octauum nominari fecit, ac schisma, quod idem Petrus viuens nitebatur continuare, quantum in se, & fautoribus suis fuit, continuauit: & eidem Petro damnato in dicto schismate, & alijs criminibus se instituit successorem.

Nos igitur attendentes, quòd si ea, de quibus Deus vehementer offenditur, insequi, vel vlcisci differimus ad irascendum, vtique diuinam potentiam prouocamus, præmissa tam grauia, tanquam scandalosa, tantumque diuinæ Maiestatis, & Ecclesiæ Sponsæ nostræ offensiua, vlterius, nec dissimulare, nec tollerare absque Dei offensa valentes, nec volentes, decreuimus super præmissis contra eumdem Alphonsum in virtute Altissimi insurgendum, & prout nostro conuenit officio procedendum, & quia notorium est, prout notorium fore decreuimus, ad dictum Alphonsum, siue domicilia,

lia, & loca eius pro citando eum non esse, aut fore tutum accessum, per hoc publicum edictum nostrũ peremptorium eumdem Alphonsum Regẽ peremptoriè, vnoque edicto peremptorio pro omnibus citamus ad personaliter coram nobis in Romana Curia, in Nostro publico Consistorio, die centesima vigesima prima a die publicationis, et affixionis continuò numeranda, si ipso die Nos publicum Consistorium tenere contigerit, alioquin proxima inde sequenti die, qua nos publicum Consistorium tenebimus ad procedendum, et procedi videndum, et audiendum per nos ex nostro Offitio instante Procuratore, et Promotore prædicto, etiam vsque ad diffinitiuam sententiam, atque declarationem, et impositionem pœnarum pro dictis criminibus debitarum, et alias super præmissis, etiam tanquã super notorijs, aut alias prout de iure fieri poterit, et debebit, iurique super præmissis pariturum; eidẽque Alphonso Regi per idem edictum intimamus, quod siue ipsa die, vt præmissa, procedemus, prout iuris, et rationis fuerit, ipsius absentia non obstante, decreuimus autem, et statuimus, quod citatio per dictum modum, vt præmittitur publicata, et affixa perinde dictum Alphonsum arctet, et appræhendat, ac si personaliter appræhensus fuisset.

Datum

Datum Romæ apud Sanctos Apostolos, Idib: Iulij, Pontificatus Nostri Anno Nono.

His ad Alphonsum perlatis, siue vt Regni dissidia tolleret, siue vt voci Summi Pastoris obsequeretur, Legati Nuntios, quos antea sine publico honore susceperat, per benignè recepit, paulo post cum pleno legationis officio, ac iurisdictione legatus ingressus in Regnũ Ecclesiæ potestatis fulgore schismaticos perculit, iniuriarum nubes veritatis sole dispersit Regem ad pacem ineundam procurandamque disposuit. His peractis rediit ad Vrbem, & quæ gesserat id Consistorio expositis, atque perpensis, ad eumdem Aragonensiũ Regem missus est Rogerius Episcopus Adureñ. vt omnes Regis petitiones intelligeret, & referret: quibus a Pontifice cognitis, iterum Petrus ad Regnum reuersus est, vt extremam manum imponeret operi. Actum est igitur sunt verba concordiæ.

Acta eiusdem Legationis, & Breuia.

Acta legationis, & Breuia

Primò, quòd idem Dominus Rex det operam efficacem, vt Aegidius, et alij cum eo in Castro Panischolæ Dertusen. Diœc. intrusi ad gremium Sacro Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, et ad obedientiam Sanctissimi Domini Nostri Martini veri, & indubitati Iesu Christi Vicarij humiliter et deuotè reuertantur, suumque reatum agnoscant, etc. quòd si Aegidius eiusque sequaces ad obedientiam animo indurato venire recusent, idem Dominus Rex; Dominum Aegidium, et

Ex actis Legationis.

omnes

omnes, & singulos eius sequaces, ac sibi adhærentes in manibus, seu potestate eiusdem Domini Nostri Martini, seu eius Legati, aut alterius ad hoc specialiter deputati, reponat, iuxtà demerita puniendos.

Secundò; Quòd omnia, & singula Edicta, Inhibitiones, Cōstitutiones, & Decreta, pœnasque & mulctas in eis adiectas cōtra S D.N. eiusq; Legatos Sedis Apostolicæ, & personarum Ecclesiasticarum libertatem hactenus edita, & promulgata, solemniter & publicè cum voce Tubæ per Ciuitatem Valentiæ, ac Ciuitates, & loca suæ ditionis subiecta tollat, reuocet, & annullet.

Tertiò; Quòd permittat, Sedis Apostolicæ Collectores, qui pro tempore sint, fructus, bona, & iura Cameræ Apostolicæ, liberè, quietè, & pacificè recipere, ac suo absque contradictione vti Officio, non permittendo eos, seu eorum alterum in Officij prædicti executione per se, vel per alium directè, vel indirectè impediri, aut, vexari quoquomodo tollendo, ac amouendo omnia, & singula impedimenta per eum, seu alios hactenus apposita.

Quartò; Quòd Ecclesiam Romanam, & omnes

alias Ecclesias in Regnis; & Terris suis alijs vbique constitutis, personasque Ecclesiasticas cuiuscumque conditionis, status, aut præeminentiæ existunt, eorum priuilegijs, libertatibus, franchitijs, immunitatibus, ac omnibus alijs iuribus liberè, & pacificè vti, & gaudere faciat, & permittat.

Quintò; Quòd omnes, & singulos Prælatos, & alias Ecclesiasticas personas suis dignitatibus, beneficijs, seu bonis alijs per ipsum, seu alios de eius mandato spoliatos ad easdem dignitates, beneficia, ac bona latè, ac plenariè restituat, & in eorum plena libertate, & possessione pacificè reducat, eosque suarum dignitatum, beneficiorũ, & aliorum bonorum, & emolumentis liberè, & quietè vti, & gaudere permittat; cui Rex addidit, vt Aegidius Munionis Ecclesiæ Maioricensi præficeretur.

Concordat. Breue in lib. nono.

Ex actis legationis, & Breuibus.

Quare die 26. Iulij anno 1429. Aegidius in Castro Panischolæ Pontificijs indutus insignibus omnes processus, & sententias tam a Benedicto XIII. quàm ab ipso cõtra Oddonem de Columna promulgatas, præsentibus Anticardinalibus, & Prælatis, reuocauit, se non aliam ob causam Pontificatum acceptasse, quàm vt Schisma tolleretur, edixit, cui, & iamdiu cessisset, si libera fuisset concessa facultas. Descendens igitur ex

solio

solio in contiguum cubile secessit, insignibusque depositis in veste Doctoris exiuit, ac hortatus est Cardinales, vt de optimo Pastore Ecclesiæ Dei prouiderēt, qui more consueto intrantes Conclaue in quadam Castri parte paratum, Oddonem de Columna Martinum Quintum appellatum in Summum Pontificem solemniter elegerunt. Quare publicis peractis precibus pro noua Martini assumptione, Aegidius Castrū Panischolæ (aliàs Roccha de Truena) Oratoribus Regis Aragonum consignauit, omnique sublato Schismate, vniuersa Christiana Respublica Martinum in verum Pontificē, vnicū Ecclesiæ Caput, recognouit.

Ex bulla 7 idus Februarij Anno 5.

Interim Antonius de Callerio nomine Ioannis Comitis Armeniaci, coram Pontifice in Castro Genezani commorante, præsentibus nonnullis Cardinalibus, obedientiam præstitit, Schisma adiurauit, seque non adhæsurum Aegidio Munionis, eiusue sequacibus iure iurando pollicitus est per eadem tempora.

Ex Instrumento prima Aug. 1426.

Hortatu Ioannis Hus de Bohemia, Hieronymi de Praga, & Ioannis Vueleff de Anglia inualuerat Bohemorum hæresis, cuius præcipua Capita in Concilio Constātiensi damnata fuerant. Pontifex, vt Populum ad vnitatem Ecclesiæ reuocaret, in ipso Pontificatus initio, Ioannem Sancti Sixti Presbyterum Cardinalē ad Regnum Bohemiæ, & Hungariæ, ceterasque Germaniæ Partes destinauit, sequentibus verò temporibus Iordanum Episcopum Albaneñ, Henricum Sancti Eusebij Presbyterum, Brandā Sancti Clementis Presbyterū, Iulianum Sancti Angeli Diaconum. Branda in secunda Germanica Legatione Conuentum habuit in Ci-

In bulla Kalendis Martij anno 1.

V. idus Iulij anno primo

17. Kalend. Febr. an 9. 15. Kalend. Apr. an. x. Idus Aprilis anno 4. kalend. & 9. Ian. an. 14. In bulla kal. Dec an. 6

uitate Norimbergensi, præsentibus Sigismundo Romanorum Hungariæ, & Bohemiæ Rege, & Imperij Electoribus, alijsque Prælatis qui, & communibus Sigismundi, & Prælatorum sumptibus vsque ad extremam hæreticorum exterminationem decerni bellum obtinuit. Pontifice igitur mandante, prædicatur Cruciata, conscribitur miles, pecunia à Germaniæ Prælatis exigitur, aliaque parantur armamenta. Dum hęc aguntur, Sigismundi Vuladislai Regis Polonię Nepos valida militum manu Regnum Bohemiæ, conniuentibus Bohemis, occupat. Tunc Branda illum admonet, vt ab inceptis desistat, Regnumque restituat, & ne Bohemis ferat auxilium præcipit. Verùm cum illis faueret, regnumque retineret, anathematis mucrone percussit, omnique dignitate, Dominio, Ciuitatibus, & iurisdictione priuauit, ipsumque Poloniæ Regem, & Alexandrum aliàs Vuitoldum Ducem Lithuaniæ, instante etiam Rege Romanorum, monuit (sunt verba Breuis) sub pœnis fautoriæ hæreticæ prauitatis, vt Sigismundum, intra spatium duorum mensium, ab auxilio hæreticis ferendo, & a Bohemia reuocarēt. Hinc Vuladislaus ad Summum Pontificem, & Sacrum Collegium hominem sibi a secretis trāsmittit, qui, & eius mandatis se promptum exhibeat, & exponat Sigismū dum, illo renitente, & prohibente, ad Bohemiæ Regnum se contulisse: & quòd deinceps, non loco nepotis, sed hostis habebit. Laudata Legatione, ad Principes, & Prælatos Germaniæ Martinus scribit, vt se paratos exhibeant ad pugnandum contra Bohemos; ordini militum Theutonicorum, vt Sigismundo Regi esse

Ex Breuibus & ead. Bulla Kalen. Dec. an. 6.

Ex Bulla 9. Ian. an. 8.

Ex breuibus

Ex breuibus

Ex breuibus

Ex Breuibus

velint auxilio, præcipit, eumdemque hortatur, vt contra Regnum ducat exercitum. Sed dum Pontifex zelo fidei ductus omnem Germaniam ad arma concitat, Conradus Archiepiscopus Pragen̄ (contra quem, vti suspectum de hæresi, in Concilio Constantiensi commissa fuerat inquisitio) Castra ad Ecclesiam Pragæ spectantia hostium manibus tradidit: & conuocata synodo, hæreses in Concilio damnatas seruari mandauit. Qua propter, vti de hæresi conuictus, Archiepiscopatu, omnique honore priuatus est, & degradatus. Alexander autem, Dux Lituaniæ, publicè cæpit fauere Bohemis, ipsisque ferre suppetias: & cum monitus fuisset, vt ab illis adiuuandis abstineret; ipse, ne videretur fidem, quam profitebatur, deserere, se, de Pontificis voluntate, auxilium ferre Bohemis iactitabat; turbauit primo impetu ea vox Sigismūdum Regem, eumque detinuit cum Exercitu cōtra Bohemos parato dubitantem; Verum perpensis tot sedis Apostolicę sumptibus, tot litteris, & legationibus, perfidiam Alexandri obedientiæ velo celari intellexit. Sed vno sublato, fraudis Architectus, alium inseruit dolum. Bohemię Regnum ab hęreticis vsurpatum, a Sigismundo Vuladislai Regis nepote occupatum, bellis vndique appetitum Sgismundus Rex Romanorum aggredi statuerat; Pontifex vero, vt hęretios expelleret, omnem opem, operamque conferebat, verum non nulli publica ditati iactura cupientes, vt qui coniuncti mouebant Exercitum adinuicem desiderent, vocem spargunt in vulgus, & Germanię Pręlatos, ipsumque Regem admonent de alienatione Regni Bohe-

Ex Breuibus

IV. nonas Ian. an. 9.

Ex Breuibus

Ex Breuibus

In Bulla nonis Ian. an 8.

Ex Breuibus

Bohemię, quam Pontifex, ipso spreto, moliretur: quę res ita perculit animum Sigismundi, & Prælatorum, vt ab incepto penitus destiterit. Afflixit rei nouitas Martinum, qui ut dolum aperiret, Archiepiscopo Mogũtino mandauit, vt huiusmodi opinionem excogitatam ab hostibus tolleret, & euelleret è Principum animis, licèt pax inter Regem Sigismundum, & Ducem Lithuaniæ, mediante etiam Pontifice, tractata, & continua ad Bellum instantia totis viribus suscipiendum debuisset omnes abstulisse malignantium dolos; instat tamen Martinus, & vrget ardẽtius, tum per litteras, tum per Legatum, vt exer-

Kalen. Sept. anno 9. citus in Bohemiam duceretur. Iordanum Episcopum Albaneñ, sub quo iterum Cruciata prædicata est, & de-

15. Kalendis Apr. anno x. inde Henricum Angliæ Cardinalem in Germaniam mittit Sedis Apostolicæ Legatum; quo viriliter adnitente vnà cum Electoribus Imperij habitus est Cõuentus apud

Ex breuibus Francfordiam, conclusaque secunda expeditione contra Bohemos, in Angliam reuertitur: & quoniam magnæ erat potentię, conscribi iussit exercitum, subsidium a Pontifice postulauit, qui ingenti erogata pecunia, ad idem opus perficiendum Angliæ Regem hortatus est, eidemque Legato, cum exercitũ fuisse paratum intellexisset, in Bohemiam quanto citius proficisci suadet. Ducitur tandem exercitus, pugnatur impigrè, seu pugnari simulatur: conficta enim fuga, Legatus cum gẽtibus pro defensione

Ex Breuibus Fidei conscriptis mare transijt, relictisque Bohemis Christianæ fidei hostibus, Franciæ Regnum inuasit, de qua re Martinus litteris Regis certior factus, audaciam Car-

Kalend. & 9 Ian. an. 14. dinalis damnat, & improbat, Ioannem verò Sancti Angeli Diaconum Cardinalem ad Regnum Bohemiæ, Hũ-

garıæ,

gariæ, & Poloniæ, & Marchionatum Morauiæ, & Missneñ Legatum cum suprema facultate transmittit, vt Regi consulat, & Bohemos ad Ouile Domini reuocet. Eodem tempore egit cum Ioseph Patriarcha Constátinopolitano, & Emanuele Romanorum Imperatore, vt Græcos Latinis adiungeret vsus opera Theodori ex ordine Prædicatorum Magistri; eaque de causa Petrũ Sancti Angeli Diaconum Cardinalem de latere legatũ misit in Græciam: vtque singularem pietatis foueret affectum, quem pro Græcorum ad fidem, & obedientiam Romanæ Ecclesiæ reductione gerebat, Vniuersos Christi fideles ijs Indulgentijs, quæ peregrinantibus ad sepulchrum Dominicũ conferuntur, hortatus est ad eum ingentem murum Peloponesi reficiendũ aliquibus ante sæculis dirutum (Hexamile nuncupatum) qui latissimam Græciæ circumiacentis partem muniens ipsius aditum occludebat Infidelibus; Ioanni, Theodoro, Andronico, Constantino, Demetrio, & Thomæ eiusdem Emanuelis filijs, vt cum mulieribus sub fide, & obedientia Romanæ Ecclesiæ contrahere possent indulsit: contra Turcas, vnà cum Ioanne Adorno eorum stipendiario Constantinopolim obsidétes, Venetorum Ducem, Ianuenses, & milites Rhodienses, totamque Rempublicam Christianam, donec soluit obsidionem, excitauit.

Ex Breuibus

In Bulla 7. Kalen. Febr. anno primo.

Ex Bulla 4. Idus Apr. anno 3.

6. Kalend. Sept. an. 1.

8. Kalend Apr. an. 1.

Ex Bulla 5. idus Iulii anno 5. & Nou anno 5.

Lib. Breuium

Samaytarnam gentem, Sacro Baptismatis fonte renatam studio Vuladislai Regis Poloniæ, & Alexandri Ducis Lithuaniæ, sub Ecclesiæ protectione suscepit, contra fraticellos, seu fratres de opinione, vulgo, nuncupatos, qui in pluribus Italiæ partibus prauarum virus opi-

3. idus Sept. anno quarto

8. Kal. Maii ann. 7. & 18. Kalen. Dec. anno primo

nionum

ionum vomebant, diligenter inquiri mandauit. Inter alios electi sunt Leonardus de Florẽtia Generalis Magister ordinis Prædicatorum, & Iacobus Antonij de Monte Brã dono ordinis Fratrum minorum, nũc Beati titulo decoratus. Astorgius verò Episcopus Anconitanus Prouinciæ Anconitanæ Rector, iussu Pontificis, Castrum Magnolatę Aesinæ Diœc. in quo dicti fraticelli se receperant, ad aliorum exemplum funditus diruit.

V. idus Oct. an. 9,

In Bulla kal, Iunii an, 11,

Libertatem Ecclesiasticam in præterito Schismate, vel elisam, aut elusam in pristinum statum restituit. Dum enim plures de Pontificatu maximo contenderent, & Orbis vniuersus non pareret vni Pontifici, vt amor, vel odiũ suggerebat, siue vt impellebat vtilitas, aut rerum status postulabat, diuersę Prouinciæ vni Pontifici, & aliæ alteri præstarent obedientiam, nonnulli locorum Episcopi Vrbani VI. Priuilegio suffulti pro dignitate illius, cui adhęrebant tuenda, consueuerant rescripta Pontificum super ijs quæ in eorum Diœc. gerenda essent, ante eorum executionem inspicere, illaque dimittere, si a vero Pontifice emanassent, quam dimissionem vulgariter appellabant (vidimus) & hodie nonnulli magis specioso nomine, vocant (Exequatur)

Ex Breuibus

Sed Principes vlterius progressi, Ioannes vid. Rex Portugalliæ, & Algarbiorum, & Ceptæ Dominus eo colore quòd litteræ, quæ a Sede Apostolica, & eorũ Officialibus, ac a magno Rhodi Magistro emanabãt, possent esse subreptitiæ, & falsæ, & iniustæ, statuit, vt quicũque huiusmodi litteras publicasset, aut executus fuisset, ante quã ab eius Cancellaria visæ, & emanatę fuissent, vltimo supplicio puniretur. Vlterius nonnulla edidit statuta, seu leges contra

tra personas Ecclesiasticas, ac Ecclesias, quas decreuit non posse retinere bona immobilia illis ex testamento relicta.

Alphonsus Rex Aragonum varias,& ipse contra libertatē Ecclesię leges ediderat, & voce pręconis edictum iusserat publicari, ne quis subditorum litteras Apostolicas apertas, aut clausas legere, exequi, aut præsentare, aut illis aliqualiter obedire præsumeret.

Henricus Angliæ Rex beneficia acceptantes authoritate Summi Pontificis iussit exulare, capi, incarcerari, & litterarum Apostolicarum executores vltimo supplicio damnari.

Carolus Franciæ Rex, vnà cum Prælatis, & Proceribus, varias leges super prouisione beneficiorum ediderat, & in Regno etiam Poloniæ litteras Apostolicas de beneficijs reseruatis exequi dubitabant.

Pontifex, vt grauamina huiusmodi tolleret,& libertatem Ecclesiæ vindicaret,precibus,& monitis apud Principes institit, vt quia sublatum erat Schisma, cuius occasione leges emanauerant, cæteras dissentiones tollerent, & libertatem Romanæ Ecclesiæ restituerent. Sed vbi monitis se nihil posse proficere cognouit, authoritate sibi a Deo tradita vsus est.

Ioannem Regem Portugalliæ monuit,vt suos ad Curiam transmitteret Procuratores de huiusmodi statutis rationem reddituros: quæ,cum fuissent in Curia examinata, & damnata,Martinus V. anno 1416. ac postmodum Eugenius Quartus anno 1436. vti contra libertatem Ecclesiasticam edita,sustulit,& irrita declarauit. 4.idus Ianuarij 1436.

Alphonsus Rex Aragonum edicta, & leges a se editas alio

edicto in Ciuitate Valentina publicatō, in quo etiam Legato Apostolico omnem obedientiam mandauit præstari, die 16. Maij anno 1429. reuocauit.

Acta legationis Cardinale de Fuxo.

Henrici Angliæ Regis Consiliarios monuit, vt in primo Parlamento statutum penitus tollerent, & abolerent: deinde, sub excōmunicationis pœna, præcepit, vt de huiusmodi iniquitate Statuti populus in Sermonibus instrueretur: ac eo vtentes pœnis coercerētur, & quia Rex promiserat se reuocaturum, Pontifex a pœnis abstinuit. Defuncto Rege, Principes, quibus cura Regis Infantis fuerat demandata, omnia in pristinam libertatem reuocasse compertum est.

In bulla idus Sept. an. 6. & in Breui V. idus Decem. an. x. Idus Septem. an. 6.

Carolus Regis Caroli filius, qui cum esset Delphinus Viennensis, iurauerat se obseruaturum statuta contra liberatem Ecclesiasticam edita, defuncto Patre successor in Regno, obtenta absolutione à iuramento, statuta huiusmodi reuocauit, & irrita declarauit. In Regno Poloniæ litteris Apostolicis, monente Pontifice, debitus honor est habitus, magnaque inter Regem, et Pontificem necessitudo intercessit; nam, misso ad eum Nuntio, Puerum ex ipso, & Zophia Regina natum sacro Baptismatis fōte ablui eius nomine placuit: & ei se affinitatis vinculo obstrictum professus est. Cum enim Vvladislaus Heduuigam suam filiam Federico filio Federici Marchionis Brandeburgensis despondisset, Pōtifex, cū de matrimonio gratulatur, sic loquitur:

Kal. Maii anno 8.

Ex bulla in Kal. Oct. anno 9.

Ex Breuibus.

Ex breuibus.

Nos quoque cum nostra prosapia de Columna, ex qua carnaliter nati sumus, obstrinxisti vinculo affinitatis, nam, sicut ab antiquo accepimus,

pimus, qui priscam originem nostram per manus traditam ab antiquioribus retulerũt, nostra de Columna Romana, & præsentiũ Burchgrauiorum Nurimbergensium Domus (quæ etiam Romana fuisse dicitur) ab eodem stipite deriuatæ sunt; ex quo, cum essemus antea serenitati tuæ affecti propter gloriam, & virtutem tuam, & propter merita; & Officia tua in Populum Christianum, esse nunc debemus, & erimus accedente vinculo affinitatis magis cum Excellentia sua coniuncti; & ad honorem Celsitudini suæ exhibendum inclinati.

Exhibitionem verò litterarum coram Episcopis faciendam (sacro approbante Constantiensi Concilio) perpetua constitutione reuocauit, & quæcumque alia statuta quomodolibet facta contra libertatem Ecclesiasticam sustulit, Constantię 2. Kal. Maij anno primo.

In eodem Concilio pro alio ad quinquẽnium Cõcilio celebrando electa fuerat Papiẽsis Ciuitas: ad quam cum plurimi venissent Episcopi, superueniente peste, ad Ciuitatem Senarum translatum est, approbante Pontifice. Ludouicus igitur Episcopus Magalonensis S. R. E. Vicecamerarius die 5. Augusti 1423. cum Senarum Republica conuenit, vt libera venientibus ad Concilium prębere hospitium, & securitatem. Quapropter Pontifex Sedis Apostolicę Nuntios, & Generales Concilij pręsidentes transmisit Petrum Ar- 6. Kalend. Aug. anno 6. 4. Idus Martij anno 7

chiepiſcopũ Creteñ. Iacobum Epiſcopum Spoletanum, Petrum Abbatem Monaſterij de Roſario, Ordinis Sancti Benedicti Aquileienſis Diæc. Leonardum de Florentia, Ordinis Fratrum Prædicatorum Magiſtrum Generalem, & inter cæteros admonuit Alphonſum Regem Aragonum, vt illuc ſui Regni Prælatos mitteret, qui, vnà cum cæteris, Sæcularem, & Eccleſiaſticum Ordinem reformarent, & libertatem Eccleſiæ tuerentur. Et quoniam Archiepiſcopi, & alij in Concilio Prælati de tranſlationis validitate fortè dubitabant, iterum Pontifex approbat translationem, & Ciuitati Senenſi præcipit, vt Concilio faueat, nec illi moleſtias inferat, aut inferri patiatur. Expectati ſunt per nouem menſes Epiſcopi, & alij, qui Concilio intereſſe debuerant, ſed quoniam neque numerus ſufficiens aduenerat, & aliqui ex ijs, qui venerant, alijs adſtricti negotijs receſſerant, maior pars Prælatorum Concilio intereſſentium pro loco futuri Concilij inde ad ſeptemnium, Authore Domino celebrandi, Ciuitatem Baſilieenſem elegit, & Concilium die 24. Ianuarij Anno Pontificatus Septimo diſſoluit; Die verò ſeptima Martij, publicata diſſolutione, Pontifex omnia, quę geſta fuerant, confirmauit: & ne interim populorum mores laberentur in deterius, monuit Antonium Epiſcopũ Portuen. Petrum Sancti Stephani in Cæliomonte Presbyterum, & Alphonſum S. Euſtachij Diaconum Cardinales, vt a quacumque perſona reciperent inſtructiones ad reformationem morum vtiles in futuro Concilio tractãdas. Inſtante iam ſeptemnio, Iulianum Sancti Angeli Diaconum Cardinalem Sedis Apoſtolicæ Legatum ad Ciuitatem Baſiliẽſem, & præſidentem pro generali Cõcilio

Ex Breuibus.

Ex Breuibus

4. idus Martii an. 7.

4. idus Martii an. 7.

Kal. Februarii an. 14.

cilio celebrando constituit: eidemque in alio diplomate facultatem attribuit trãsferendi Concilium, vbi legitima causa suaderet, prorogandi, dissoluendi, approbandi decreta, illaque in sessionibus publicis, iuxta consuetum Ecclesiæ morem, solemniter publicandi.

Quoniam autem Constantiense Concilium schisma omne sustulerat, Pontifex bellorum semina, agrorum depraedationes, terrarum incendia, tum missis Oratoribus, tùm precibus ad Deum effusis satagebat extinguere. Sedula excitabatur cura, vt inter Christianos Catholicos Principes, inter se dissidentes, pacem induceret. Amodeum Sanctæ Mariæ Nouæ Diaconum Cardinalem ad fœdus, seu pacem ineundam inter Carolum Francorum, & Henricum Angliæ Reges, & Viros Franciæ Regales transmisit, & Iordanum Episcopum Albanensẽ, & Gulielmum Sancti Marci Presbyteros Cardinales ad eosdem Reges, & inter eumdem Regem Franciæ, Regnis proceres, & Ioannem Ducem Burgundiæ, & Principes de Domo Franciæ pro pace coniunctim tractanda, & concludenda, & S. Marci Cardinalem seorsim ad Regem Franciæ Legatos de latere declarauit. Qui cum animos Principum ad bellum propensos flectere non potuissent, transmisit Nicolaum Episcopum Bononiensem, virum deuotum, & in feruore Spiritus Domino seruientem, cui adiunxit Vrbanum de Florentia Monachum Carthusiensem, & postmodum Ludouicum Episcopũ Portuensem, cum pleno Legationis officio pacem insimul cum Nicolao tractaturum destinauit. Defunctis, tã Carolo, quàm Henrico Regibus, ad Carolum in Regno Franciæ Successorem, & Henricum Angliæ Reges

5. idus Feb. an. 1. XI. kal Ian. an. 2.

kal. Apr. an. 1

Ex Breuibus

3. Kal. Dec an. 5.

v. kal, Dec, an. 14.

eumdem

eumdem Nicolaum, tunc Sanctæ Crucis in Hierusalem Presbyterũ Cardinalem Legatum pro pace concludẽda creauit. Ad Alphonsum verò Regem Aragonum Neapoli commorantem, die 27. Septembris 1421. Cardinalem Sancti Angeli pro pace inter ipsum, & Ioannam secundam Reginam ineunda transmisit.

Lib. participationum.

Inter Vuladislaum Regem Poloniæ, & Alexandrum (aliàs Vitotium) Ducem Lithuaniæ ex vna, & Michaelẽ Kocmaister Magnum Magistrum ordinis Theutonicorũ vna cum Sigismundo Rege, dum Constantię moraretur, treguas indixit, & præcepit, vt Castra, pro quibus bellum gerebatur, ad manus Regis Sigismundi consignarẽtur; ad pacem inter eosdem ineundam. Iacobum Spoletanum, & Fernandum Lucensem Episcopos Nuntios destinauit; inducias iterum a Frederico Marchione Brandeburgensi inter eosdem postea conclusas approbauit. Tandem post sextum Pontificatus annum, cum discordia etiam cum Sigismundo Rege Romanorum vigeret, transmisso iterum Fernando Episcopo Lucensi, tam inter Regem Poloniæ, & Lithuaniæ Ducem eius fratrem, quàm inter Sigismnndum, eiusque confæderatos pacem stabiliuit.

Kal. Sept. an. 3. Lib. Breuium.

V. idus Febr. an. 2.

12. Kal. Mar. an. 6.

Henricum, & Ludouicum Duces Bauariæ, & Marchionem Brandeburgensem inter se dissidentes, per Cardinalem Brandam Legatum Apostolicum, ad pacem ineundam hortatus est, at Ludouicum renuentem anathemate percussit, & loca, ad quæ eum accedere contingeret, Ecclesiastico supposuit interdicto: quod postea sustulit, vt Ludouicus liberè proficisceretur ad Ciuitatẽ Ratisbonensem, vbi treguæ firmandæ erant ad bellum

Ex Breuibus.

17. Kal. Dec. an. 5.

ge-

gerendum contra Bohemos.

Philippum Ducem Burgundiæ rogat, ac etiam sub pœna excommunicationis monet, ne prouocet, aut prouocatus ad duellum accedat, Regique Romanorum, cœterisque Principibus edicit, ne campum prestent eidem, aut Henfrido Duci Glocestriæ, qui Burgundum prouocauerat ad singulare certamen. Ex breuibus 3. Kal. Maii anno 8.

Nicolaum Archiepiscopum Bremensem, misit ad pacem ineundam inter Henricum Daciæ, Sueciæ, & Noruegiæ Regem, & inter Adolphum, & Gerardum fratres Sleuuicenses: & Nicolaum S. Crucis in Hierusalem Sedis Apostolicæ Legatum pro pace inter Venetos, & Ducẽ Mediolani procuranda transmisit, quem vti pacis Angelum Veneti laudauerunt. 5. Kal. Octob anno 8. Ex breuibus

Inter Mediolani Ducem, ac Rempublicam Florentinam, cum qua Gabriel Bononiæ Legatus fœdus dicebatur inijsse, illo reprobato, mutuam beneuolentiam peperit. Eumdem, vt cum Bernensi Vniuersitate, ac cum Senensi Republica pacem iniret, hortatus est. Quod cum Sigismundus Romanorum Rex, Duci subiratus grauiter ferre diceretur, ad se Pontifex tanquam Ecclesiæ Caput pertinere respondit pacem quærere, & ponere inter omnes Populos, ac Principes, tam seculares, quàm Ecclesiasticos: quod & antea re ipsa effecerat, dum Ludouicum Bauariæ Ducem ad pacem ineundam cum Duce Brandeburgensi compulerat, eidemque præceperat, vt cum Archiepiscopo Moguntino pacem iniret: & Archiepiscopo Treuereñ. commisit, vt pacem componeret inter Duces Monteñ. & Cliueñ. & ipsius Cliueñ. fratres de Dominio Ducatus Ex breuibus Ex Breuibus Ex Breuibus Ex Breuibus Lib. Breu. fol. 59.

Gelriæ

Ex Breuibus

Gelriæ decertantes; qnod etiam comprobarunt Ioannes Castellæ, & Legionis, & Ioannes Portugalliæ, & Algarbiorum Reges inter se dissidentes: Idemque Rex Castellę, & Respublica Ianuensis discordes, dum elegerunt arbitros, quorum sententiæ acquiescerent; ita tamen, vt si arbitri inter se non conuenirent, à Summo Pontifice tertius eligeretur, cuius arbitrium omnino sequi deberent.

Et licèt omni studio rebus Concilij ad fidem Catholicam spectantibus incumberet, ac inter Principes concordiam quæreret, non tamen temporalia Ecclesię bona, dum adhuc moraretur Constantiæ, neglexit; ipso enim Pontificatus initio, sacro approbante Concilio, omnes Inuestituras, Donationes, Concessiones, & quascumque alienationes de Ciuitatibus, Castris, & Locis, & Regalibus Sancti Petri factas à Pontificatu Gregorij XI. citra reuocauit, bona ad Cameram Apostolicam pertinentia pignori data, ac pecuniam à Ioanne XII. tuto loco depositam, ac inter alia Mitram Pontificis Saphiris, gemmis, ac vnionibus prædiuitem, quam Nicolaus Archiepiscopus Salernitanus, die 9. Aprilis 1415. penes Ioannem de Medicis, ac socios Mercatores deposuerat, pręmisso anathemate, Apostolicæ Sedi restituit. Iordanum Episcopum Albaneñ. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem de Vrsinis in Marchia Anconitana, alijsque Italiæ Partibus, in quibus vi, & armis Romanæ Ecclesiæ Castra occupabantur cum Legati de latere potestate transmisit: inter Barones, & Domicellos, Populumque Romanum, de agris, & Iurisdictione certantes, treguas indixit. Vexabat tunc

Datum Constantiæ 5 nonas Martii anno 2.

Die 1. Apr. 1419. Ex Instr. die 7 Ian, 1418.

Nonas Dec. anno 1. 6. Kal. Dec. anno 1. & 2. Id. Apr. anno 2.

temporis

temporis Romanę Ecclesię Statum Braccius de Forte Braccijs Montoni Comes, vir alioqui strenuus, & impiger, contra quem Pontifex milites conscripserat: & cum sæpius leuiter fuisset vtrinque pugnatum, tandem die 26. Februarij 1420. quædam inita sunt capitula, in quibus concordatum est, vt Braccius Ciuitates Vrbeuetanā Narniensem, Interamnensem, Ortanam, Castra Comitatus Spoletani, Caluum, Maglianum, Vtriculum, Collem Scipionis, & Sanctum Geminum Romanæ Ecclesię restitueret; Vice Camerarius verò efficeret, vt ipse, eiusque commilitones, Vrsus de Monte rotundo, Vlisses de Mugnano, & Nicolaus Comes de Vrsinis a censuris, & pœnis absoluerentur, & quòd Pontifex ad triennale gubernium eidem concederet Perusiam, Tudertum, Aesium, Roccam contradam, Montem Bodium, Staffilum, Castra Cæsarum, Porcariæ, Macereni, Aqua palumbæ, & Gualdum, Spellum, Cannariam, & Castrum Montoni confirmaret. Approbauit Concordiam Martinus, & supradictas Ciuitates, & Castra concessit in Vicariatum, sub annuo censu quinque millium ducatorum. Hinc Braccius, Nicolaus de Tolentino, Gattamelata, Michelettus de Attendolis, ac alij ad Ecclesiæ Romanæ stipendia suscepti, tàm contra Ciuitatem Bononiæ, quā Martinus anno 1419. in deditionem acceperat, quàm contra alios, qui statum Ecclesiæ turbarent, fortiter decimarunt. At Braccius, fide non seruata, factus est rebellis Ecclesiæ, cuius oppidis partem captis partim direptis, Ciuitatem Aquilanam obsedit. Tunc Pontifex Perusiū, aliasque Ciuitates Braccio traditas sub immediata Sedis Apostolicæ subiectione recipit; & iunctis suis cum Ioan

Ex Lib. Cap.

4. Kal. Martij an. 3.

ex Libris cōputorum anno 1429.

Ex Breuibus & 16 kalen. Oct. an. 8.

 næ

næ Reginæ Siciliæ viribus, dum obsessis iam per tresdecim menses opem ferre, & cibaria in Vrbem ducere satagit, aperto in Campo aciebus instructis, se Braccius opponit; hinc accerrimè vtrinque pugnatur, tandem victo, profligatoque exercitu, Braccius die 2. Iunij lethaliter vulneratus, capitur, & post alteram diem expirauit. Ne verò conscriptus miles deficeret, vbi maxime eius opera indigebat, pecunias etiam in stipendia erogauit, quas Bartholomeus de Lante Cameræ Apostolicæ Clericus a Ioanne Francisco de Gonzaga Mantuæ Vicario, & a Paulo di Guinigis tunc in Ciuitate Lucensi Domino, nomine Sedis Apostolicæ, mutuo receperat. Hinc Morlupum, Mugnanum, aliaque Castra, Vlixe Nicola, & Gentili de Vrsinis se opponentibus, posita obsidione, recepit, & diruit.

V. kal. Iulij an. 4.

An. 1425. ex Instrumentis.

Cum autem Philippus Maria Anglus Mediolani Dux Angelum Pergolanum in Romandiolam cum Exercitu misisset, post captum Forliuium, nacta per noctem occasione, arcem Imolæ adortus, eaque potitus, Ludouicum Alidosium in Ciuitate commorantem ad se vocatũ ad Ducem perduci iussit: mense Martio anno 1424. Imolæ Ciuitas, Comites de Cantagallo, & de Pauenta, Vniuersitas Castri Coderunci, Plebis S. Andreæ, Beluederis, Valmaioris, Hostæ, Montis Moresini, Massæ Alidosiorum, aliorumque locorum Comitatus Imolæ obedientiam, & fidelitatem eidem Duci iurarunt: prosecutus Victoriam Pergulanus, Cesenatem, & Ariminensem agros inuasit, Verruculum, Sanctum Archangelũ, Sauignanum, Castrumcarum, Porticum, Douadulam, Mutilianum, Cassianum, & Petrapium Romandiolæ

Ex Instrum.

castra

Castra diripuit, & expugnauit; ac cætera, quę numero sunt multa, aliorum exemplo deterrita se se, missis oratoribus, dediderunt. Flagrante igitur bello inter Florentinos, & Ducem, Veneti, tanquam Florentinis suppetias laturi, Mediolanensem ditionem aggrediuntur. Interim Philippus, vt Pontificem sibi deuinciret, Forumliuij, Imolamque Ciuitates, & earumdem Comitatus, post biennium sui Regiminis, die scilicet 14. Maij anno 1426 Ludouico Archiepiscopo Arelatensi Bononiæ, & Romādiolæ Gubernatori, & Vicario Generali pro Martino V. Pontifice restituit, & consignauit; quapropter eodem mense Ciuitas Imolæ, in quam Arelatensis fuerat solemniter receptus, Massa Alidosiorum, seu Castrum Riui, Plebs Sancti Andreæ, Valmaioris, Fontanæ, Formionis, Hostæ Castra, & Villæ, & alia loca eidem Vicario, nomine Sedis Apostolicæ, & Martini V. recipienti, obedientiæ, & fidelitatis iuramentum præstiterunt. Recedens Imola Ludouicus Petrum de Fulgineo in Capitaneum, Ioannem verò de Anania decretorum Doctorem in Pręторem Ciuitatis, & Comitatus elegit; postmodum Martinus V. Ludouico in Presbyterum Cardinalem assumpto, Ciuitatibus Foroliuiensi, & Imolensi, alijsque Castris, & locis a Duce Mediolani restitutis, Dominicum de Capranica electum Firmanum subrogauit nonis Iulij anno 1426.

Obierat paulo ante Martini assumptionem Ladislaus Rex, relicta Ioanna secunda sua sorore Regina Siciliæ, a qua Pontifex Ciuitatem Beneuentanam, Terracinamq; receperat. Quoniam verò se Regno inuestiri, & Coronari postulabat, Petrus Sanctæ Mariæ in Dominica Car- 9. Kal. Dec. an. 2. & 10. kal. Dec. anno 7.

dinalis ad Regnum Siciliæ de Latere Legatus declaratur, qui inter Reginam, & Barones, Regnique proceres, pace prius inita, eamdem de Regno Siciliæ, & Terra citra Farum Romanæ Ecclesiæ nomine inuestiuit, & recepto
6. idus Sept. an. 3. fidelitatis iuramento, coronauit, & postmodum Ludouicus S. Adriani Diaconus Cardinalis ad idem Siciliæ Regnum missus est, vt inter eamdem Reginam, & Ludouicum Hierusalem, & Siciliæ Regem pacem componeret.
3. Kal. Iulij an. 3. Interim mercimonia aliaque ad victum necessaria, quæ ad Vrbem duci consueuerant, Reginæ nomine propè Caietam detinebantur; ipsaque Regina florenos 48. millia ratione annui Census Romanæ Ecclesiæ debitos non soluerat. Pontifex, re cognita, omnibus Principibus, & Baronibus Regni, tàm Ecclesiasticis, quàm Sæcularibus præcipit, ne aliquid Reginæ persoluerent, nisi prius illis constitisset Reginam Ecclesiæ satisfecisse, omnesque
Ex Bulla, ex Instr. 14. Iunij 1420. 6. Kal. Sept. an. 4. redditus Regios Kalendis Iulij anno 4. posuit sub sequestro, Sfortiam de Attendolis Comitem Cotignolæ Regni Siciliæ magnum Comestabilem constituit S. R. E. Confalonerium, illique concedit facultatem oppignorãdi Thomæ Mozenico Duci Venetorum Terram Manfre-
Idus Aug. an. 4. doniæ, quam tunc possidebat. Dum hic nomine Pontificis recepta Ciuitate Auersæ, Cuius Castellanus Romanæ Ecclesiæ, & Ioannæ Reginæ fidelitatis iuramentum præstiterat, Milite conscripto, maiora molitur, Ludouicus Tertius Regno Siciliæ inuestitus in Italiam profici-
ex Breuibus scitur; at Alphonsus Rex Aragoniæ a Regina Ioanna in filium adoptatus classe iam instructa Neapolim aduenies contra Ludouicum Ciuitatem, & Castra munit, & Cassinensis Monasterij loca, partim metu, partim vi, & armis
mis

mis expugnat. Dum Vtrinque pugnatur Iacobus Archiepiſcopus Turoneñ mittitur. Nuntius ad eoſdem Reges, & Reginam pro Regno Siciliæ decertantes, vt pacem ineant, & mutua fœdera iungant. Ludouicus Rex ex Ciuitate Auerſæ die 11. Martij 1422. ad Vrbem aduenit, & Ioanna, Alphonſuſque reconciliatis animis Neapoli commorantur, inter quos orta paulo poſt diſcordia Alphonſus Neapoli vi potitur expulſa Ioanna; quæ, adiuuãte Sfortia, periculo liberata, Alphonſum, vt aiunt, adoptionis iure priuauit, & Ludouicum Calabriæ Ducatu donatum, & in filium adoptatum ad ſe reuocat in Vrbe commorantem.

3. kal. Febr. an. 5.

ex bulla.

Ex Breuibus

ex Breuibus

Tunc Pontifex Regem Aragonum ad dimittendum Ioannem magnum Siniſchalcum, quem in carcerem fide publica non obſeruata coniecerat, ac ad pacem cum Regina ineundam hortatur, ſeq. excuſat, quòd Regnum Siciliæ in præiudicium Ioannæ non conceſſerit: vtque elatos illius ſpiritus retundat, Philippum Mediolani Ducem rogat, vt Ioannæ, quaſi Regno expulſæ, contra Aragonenſes eſſe velit auxilio. Ille hortatu Pontificis claſſem inſtrui iubet, militemque conſcribi, Pontifex legiones nouo milite complet; tandem claſſis Ianua ſoluit, miles per Marchiam Neapolim proficiſcitur, & Alphonſo in Hiſpanias reuerſo, Ciuitatem Neapolitanam mari, terraque aggrediuntur, & expugnant, Ioannæque Reginæ reſtituunt. Pontifex Regni proceres Franciſcum Maſſafri, & Grauinæ Ciuitatis Comitem, quam paulo ante emerat a Regina, ac Ioannem Antonium Principẽ Tarentinum de Vrſinis ſollicitat; Vniuerſitates verò locorum, & Ciuitates Hortatur, & monet, vt Ioannæ Re-

Ex Breuibus

Ex Breuibus

ginæ

ex Breuibus 10.kal. Maij an.8. 9.Iun. an. 8. ginæ pareant; & cpitulentur. Serianum Caracciolum, Ducem Venuſinum, Saluatorem Zurulum S. Angeli, & Potentiæ Comitem, Antonium Spinellum, Iacobum de Aquino Comitem Laureti, Mathæum de Sangro, Nicolaum, Andream, Carolum Caraffam: Ioannem de Birago, Franciſcum de Galando, eorumque Ciuitates, Caſtra, & Loca ſub B. Petri protectione ſuſcipit; dũmodo in obediẽtia, & fidelitate Reginæ perſiſtãt, Seriani Caracciolo Duci Venuſino omnes ſolutiones, Collectas, ſubſidia, & quæcumque alia onera ſolui conſueta eidem donata, authoritate Apoſtolica approbauit: Marchionatum Cotronis; & Catanzari Ciuitatem, cum Gabella Serici, Terramque Cerquetaris, per Carolum Tertium, & Ladislaum, & Ioannam conceſſa Nicolao Tufo, Confirmauit; venditionem Ciuitatis Soræ cum Fortalitio, quòd Sorella nuncupatur, & Turrim Podij, ſeu Turrim Cantelli, & Turrim Pontis Fomiſini factam a Regina Petro Comiti Celani ratam habuit.

2. kal. Apri an.8.

5. idus Iulij an.9.

K.l Ian.an.2

Laurentium, fratrem Germanum Magnum Regni Siciliæ Camerarium Comitem Albæ creauit; Iordanum alterum Germanum Comitem Celani, & Comitatum, eiuſque Caſtra, pro quibus Paulus, Petrus, Bardus, & Ludouicus Comites Celani anno 1420. Martino V. obedientiam, & fidelitatem præſtiterant, ab omni iuriſdictione, & Imperio Regię Curię, & ab omnibus Gabellis, & oneribus, præter quam tribus annuis collectis, exemit: quicquid iuris Romana Eccleſia haberet in Caſtro Mareni, quod Florenis 12. milliũ auri emerant, dono dedit eiſdem fratribus. Palatium Bſilicæ xij. Apoſtolorum contiguum ſub annuo cenſu in emphiteoſim tradidit: caſtra

16. Kal.iun. an.8.

Die 17.Nou. lib. Capitulorum Martini V.

2. idus Oct. an.2.

Castra Palliani,& Serronis in perpetuum feudum cō- cessit, Antonio Prospero, & Adoardo Germanis fratribus ex Iordano prędefuncto nepotibus: sed Castrū Carbij Narniensis Diœcesis Antonio, eiusque filijs, Ioanni Andreæ, & Iacobo ad vitam largitus est; Castro Bassanelli Ludouicum de Columna ad beneplacitum præfecit: Castra Genezani, Cauarum, Rocchæ de Cauis, Olibani, Sancti Viti, Pisciani, Capranicæ, Rocchettarum, Ciciliani, Ardeæ, Mareni, Frascati a solutione Salis, & focatici, & quocumque alio onere liberauit, & tandem vt contentiones interfuturos sibi hæredes tolleret.

7: idus Sept. an. 8. kal. Feb. an. 12. & 9. Oct. an. 10. & Idus Sept. anno 4. 9. kal. Oct. an. 6. 2. idus Iunii an. 4, & kal. Martii an. 6

Antonio Principi Salernitano, Prospero, & Adoardo Celani, & Albæ Comitibus, eorumque Posteris Castra Genezani, Cauarum, Olibani, Capranicæ, Rocchæ Cauarum, Pisciani, Sancti Viti, Cicigliani, & Palliani, & Serronis pro indiuiso reliquit.

kal. Feb. an. 10. & 6. kal. Maii 1448.

Antonio Castra Muroli, Sancti Stephani, medietatem Supini, Tribiliani, Montis Sancti Ioannis, Strangulagalli, Carpini, iura Castrorum Viciguercini, Collispardi, Iuliani, Riparum, Castri Mugnani, Chegiæ, Neptuni, & Asturiæ.

Prospero Castra Ardeæ, Marini, Rocchæ Papalis, Molariæ, Montis Compatri, Frascati.

Adoardo Comitatum Celani, & Albæ, Castra Fragiani, Ciuitellę, Montisguardiæ, & Iura Montarani.

Paulæ ipsius Germanæ donat quoad vixerit fructus omnes ex Castris Cauarum, Olibani, & Frascati, & Tenutis in Vrbis Territorio positis percipiendos.

Fuit Martinus Excelsi Princeps animi; non fractus aduer-

sis:

ſis, non proſperis elatus, mitis in reos, comis in ſuos, pacis ſtudioſus, Eccleſiaſticæ Iuriſdictionis aſſertor, libertatis vindex: Obijt Sexagenario maior, & ſepultus in Baſilica Lateranẽſi in æneo ſepulchro cum hac inſcriptione.

Martinus Papa V. ſedit annos XIII. Menſes III Dies XII. Obijt anno MCDXXXI. Die XX. Februarij. Temporum ſuorum felicitas.

Creationes S. R. E. Cardinalium.

PRIMA CREATIO.

Die 1. *Auguſti anno* 1418. *Gebennis infraſcripti quatuor Anticardinales in obedientia Petri de Luna approbantur in eorum ſtatu, & honoribus, ſcilicet confirmantur in S.R.E. Cardinales ex bulla eiuſdem Põtificis data Gebẽnis præfata die. Ciacconus id actũ credidit die* 17. *Martij* 1419. *quo die Florẽtiã primòperuenerũt*

Ioannes Murillus Abbas Montis Aragonum, Tit. S. Laurentij in Damaſo Presbyter. Obijt Romæ menſe Nouembris anno 1420.

Carolvs de Vrries S. Georgij ad Velabrum Diac. Obijt Romæ die Mercurij 9. Octobris 1420.

Alphonsvs Carillus S. Euſtachij Diacon. deceſſit Baſileæ 14. Martij 1434. *Ex libro Diuiſionum.*

Petrvs Fonſeca Sancti Angeli Diaconus. Deceſſit Romæ die 20. Auguſti 1422.

SECVNDA CREATIO.

Die Veneris 23. *Iunij* 1419. *Florentiæ*.

Balthasar Coſſa, olim Ioannes 23. Deceſſit in eadem Ciui-

Ciuitate Cardinalis Episcopus Tusculanus die 27. Decembris eiusdem anni.

TERTIA CREATIO.

Die 23. *Iulij anno* 1423. *Romæ* Ex Schedula Reseruationis in pectore *Martini V.* & Bulla *Eugenij IV.*

DOMINICVS Ram Epus Illerden. hac die reseruatus in pectore, & publicatus die 10. Martij 1430. Presbyter. Tit. SS. Ioannis, & Pauli. Decessit Romæ Epus Portuensis die 25. Aprilis 1445.

DOMINICVS de Capranica hac die reseruatus in pectore, & die 8. Nouembris 1430. publicatus Diac. S. Mariæ in Via lata *ex Bulla* Martini V. insignia Cardinalatus in Basileensi Concilio suscepit. Obijt maior Pœnitentiarius die Lunæ 14. Augusti 1458. *Ex libro Particip.* Ciacc. hanc creationem recenset ad an. 1426.

MARTINVS QVINTVS, Dominicum Ram Epum Illerden. & Dominicum de Capranica creauit Cardinales, sed non publicauit; Deinde die 24. Maij 1426. alios creauit Cardinales, inter quos Prosperum de Columna, & Iulianum de Cæsarinis: sed hos duos non publicauit, sicuti neque publicauit supradictos Dominicum Ram, & Dominicum de Capranica, Dominico tamen Ram locum suum reseruauit; insuper decreuit, vt si ipsum mori contingeret, antequam dictos quatuor Cardinales publicasset, Cardinales superstites intra diem ab eius obitu publicare deberent, ac eos recipere in Cardinales sub priuatione vocis actiuæ, & passiuæ, prout in quadam Schedula, cui omnes Cardinales sese subscripserũt. Postmodum idem Martinus die 10. Martij 1430. Dominicum Epum Illerdeñ. publicauit, & die 8. Nouembris, dictos Prosperum, Iulianum, & Dominicum de Capranica.

Defuncto Martino, Dominicus Capranica accessit ad Monaste-

rium S. Laurentij extra muros, vbi a Nuntijs Sacri Collegij rogatus est, vt ad gubernium Perusij rediret, ac pro illa vice suo voto renunciaret, ægrè id tulit Capranicen̄. sed nihilominus renunciauit. Redijt Perusium, interim Cardinalibus Columnensi, & Vrsino consentientibus electus est Eugenius IV. qui ad tollendam omnem inter Cardinales dissensionem, constitutionem edidit, qua declarauit nulli in secreto Consistorio in Cardinalem pronuntiato, vel in posterum pronuntiando, ius aliquod ad Cardinalatum competere, nisi Cardinalatus insignia fuerit consecutus &c. vt latius in bulla die 26. Octobris 1431. continetur, ex eo igitur, quod Dominicus non recepisset a Martino Cardinalatus insignia, creditus est ab eodem Martino creatus, non autem publicatus.

QVARTA CREATIO.

Die Veneris 24. Maij 1426. Romæ creati sunt, & die 25. publicati Ex Breui *Martini*, & Manuali *Luphardi Tepold notarij Cameræ Apostolicæ*, & libro Diuisionum. *Ciacconus die 23. Iunij*.

Ioannes de Rupescissa Archiepus Rothomagensis Presb. Tit. S. Laurẽtij in Lucina. Obijt Bononię 24. Martii 1437.

Lvdovicvs Alamandi Archiepus Arelatensis Vicecamerarius S.R.E. Presb. Tit. S. Ceciliæ die 11. Aprilis 1440. ab Eugenio IV. priuatur dignitate, a Nicolao V. restituitur. Obijt in Sabaudia, nuntiatus est ipsius obitus Romę die 16. Octobris 1450.

Henricvs Beuford Regis Angliæ Auunculus Epus Vvintonien̄ Presb. Tituli S. Eusebij. Decessit inter an. 1444. & 1447. Ipsius in Epatu successor anno 1447. electus est ab Eugenio IV.

Ioannes de Praga Epus Olumucen̄. Presb. Tit. S. Ciriaci in Thermis. Decessit Martino viuente ad annum 1430.

Antonivs Casinus Epus Senen̄. Thesaurarius gener. Presb. Tit. S. Marcelli. Obijt Florentiæ 4. Febr. 1439. translatus est in

Vrbem

Vrbem, & in Ecclesia S. Marię Maioris sepultus *Ex ipsius testamento*. Ciacc. credidit decessisse Romæ.

NICOLAVS de Albergatis ex Monacho Carthusiano Epus Bononien. Presb. S. Crucis in Hierusalem. Obijt Senis die 9. Maij 1443.

RAIMVNDVS Mairosius Epus Castreñ Presb. Tit. S. Praxedis. Obijt Romę 21. Octobris 1427.

ANTONIVS Ceruantes Archidiac. Hispalen. Presb. Tit. Sancti Petri ad Vincula. Obiit Epus Ostien. in Hispania 25. Nouembris 1453. *Ex Tumulo*.

ARDICINVS de Porta Aduocatus Cōsistorialis Diac. SS. Cosmæ, & Damiani. Obiit Romæ die 9. Aprilis 1434. *Ex libro Diuisionum*. Ciacconus die 9. Augusti.

HVGO Lusignanus frater germanus Regis Cypri Diac. Sācti Adriani, die 24. Aug. 1442. nuntiatus est Romæ obitus.

PROSPER de Columna hac die resetuatus in pectore, & die 8. Nouembris 1430. publicatus Diac. S. Georgij in Velabro. Obiit Romę die 24. Martii 1463. *Libro particip.*

IVLIANVS de Cęsarinis Auditor Rotę, & Cameræ Apostolicæ hac die reseruatus in pectore, & die 8. Nouemb. 1430 publicatus Diac. S. Angeli. Obiit maior Pœnitentiarius, & Epus Tusculanus anno 1444. ex Historicis.

QVINTA CREATIO.

Die Mercurij 8. *Nouembris* 1430.

FR. IOANNES Casanoua Magister S. Palatii Epus Elnen. Titul. S. Sixti hic pileum rubrum recepit ab Eugenio IV. die 4. Iulii 1431. Obiit Florentiæ die 1. Martii 1436.

GVILLELMVS Dinanus de Monteforti Maclouien. Epus die 13. Iunii 1432. recepit ab Eugenio IV. pileum rubr cum Tit. S. Anastasiæ. Obiit Senis 27. Septembris 1.

In

In Ciacconio Stephanus a Burgo S. Sepulchri Generali Fratrum, Ordinis Seruorum, dum esset Nuntius Apost. apud Regem Poloniæ anno 1424. designatus asseritur Cardinalis Tit. S. Marcelli, Cracouiæq; antequam declararetur è vita cessisse. Martinus V. ante annum 1426. Balthassarē Cossam olim Card. postea Ioannem 23. declarauit Cardinalem, Dominicum Ram, & Dominicum Capranicam creauit Cardinales, sed non publicauit, hęc constant ex publicis documentis. Verum si Stephano datus est titulus S. Clementis, argui potest illum fuisse creatum, & publicatum, et tamen in libris Sacri Collegii, & in Registro Pō tificio nulla extat mentio, nec video causam, cur ipse solus & primus creari, & publicari debuerit Card. Fides sit penes authorem, qui sine authoritate loquitur de re ante ipsius ætatem gesta.

FR. LEONARDVS Datus Generalis, ordinis Prędicatorum asseritur creatus fuisse Cardinalis a Martino V. die 23. Iunii in secunda Creatione anno 1426. quo tempore iam obierat, missosque fuisse Nuntios a Summo Pontifice, qui hominem de eius ad Cardinalatus assumptione certū redderent. Legitur in libris S. Collegii, & Notariorum Camerae Apostolicæ Creatio Cardinalium facta anno 1426. sed inter Cardinales Leonardus non legitur: Si Leonardus creatus fuisset Cardinalis, fuisset etiam descriptus, præsertim cùm Martinus nuntium de eius creatione Florentiam miserit. Hoc peculiare est illis omnibus, qui à scriptoribus sine authoritate in album Cardinalium referuntur, vt vel post obitum creati sint Cardinales, vel ob superuenientem obitum publicari nequierint, & in libris [illegible]ri Collegij descripti non reperiantur; quare credebam [illegible]r Cardinales non esse describendum.

FINIS.

005647245



UB